


7648





HISTORIA

DOCTRINAE

DE VERO DEO

OMNIUM RERUM AUCTORE
ATQUE RECTORE

CONSCRIPTA A

CHRISTOPHORO MEINERS

PHILOSOPHIAE IN GEORGIA AUGUSTA PROFESSORE
ORDINARIO.

PARS PRIMA

QUA VETERUM GENTIUM EORUMQUE
SACERDOTUM DE DIVINA NATURA
OPINIONES EXPLICANTUR.

LEMGOVIAE,

IMPENSIS HEREDUM MEYERI, cl^o l^occ^o 1777.

ANNALS OF THE ENTOMOLOGICAL SOCIETY OF AMERICA

BT 98

Vol. 88, No. 1, February 1997

M 45

1780

C. I.

Rare

[The following text is extremely faint and illegible due to the quality of the scan. It appears to be the title and abstract of an article.]



Licet hoc opusculum longa praefatione non indigeat, pauca tamen praemittam, e quibus lectores qualiscunque mei laboris finem atque rationem perspicere possint. Totam nempe hanc commentationem eo consilio inchoavi, ut eam clarissimorum virorum *)

A 2

exa-

*) Eorum nempe, quibus legati Stolpiani administratio demandata est,

examini subjicerem, qui quaestionem in illa pertractatam publice proposuerunt. Et initio quidem non desperavi, me summo brevitatis studio id consecuturum esse, ut mea scriptiuncula definitum paginarum numerum non excederet. Postquam vero paulo altius in rem descendere coepi; statim vidi, mihi saltem non datum esse, tam amplam materiam in adeo angustum spatium comprimere. Abjeci itaque licet non sine magno dolore omnem spem, fore ut industria mea honorifica illustrium virorum testimonia mererer, & librum meum gravi eorum commendatione ornatum edere possem.

*Pristinum tamen propositum meum in causa est, quare non universas veterum gentium religiones illustraverim,
sed*

sed ea tantum ex illis excerpserim, quae sufficere mihi videbantur, ad praepositae quaestioni satisfaciendum — Hinc porro factum est, ut latino sermone usus sim, ejus consilii ne nunc quidem me poenitet, quod jam sperare possim, hoc opusculum in externorum quoque hominum manus aliquando perventurum esse.

Si qui vero sunt, qui me nimis saepe & libere summis viris contradixisse existiment, illi cogitent velim, earum, quas hoc libro pertractavi, rerum eam naturam esse, ut nemo suam ipsius sententiam tueri ac stabilire possit, quin multorum aliorum opiniones vel tacite vel aperte refellere cogatur. Idem porro secum reputent, hanc sentiendi et scribendi libertatem, atque

*adversus alios disputandi consuetudinem
tum demum reprehendendam esse, quan-
do vel cum verborum contumeliis et in-
tolerabili arrogantia aliorumque con-
temptu conjuncta est, vel a malevolo
etiam et aliorum gloriae insidiante ani-
mo proficiscitur. A quibus vitiis quan-
tum mores mei abhorreant, ex tota
mea differendi ratione intellectum iri
confido. Dudum enim, imbecillitatis
meae mihi conscius, eam habui persua-
sionem: non omnes eos errasse, quos
ego refellisse per aliquod tempus cre-
dam, multo minus eos, a quibus ego
dissentiam, doctrina atque ingenio a
me superari. — Adversus magnos viros
eo minus dissimulatione usus sum, quod
in eorum aequitate et animi magnitu-
dine maximam fiduciam reposuerim.
Robusti enim et omni ex parte compositi
animi*

animi est, ne acerbis quidem aliorum conviciis perturbari, nedum ejusmodi reprehensionibus offendi, quae ab εὐμενείᾳ sejunctae non sint. Infirmæ contra vel aegrae mentis certissimum indicium est, si quis opinionum dissensiones a voluntatum discidiis parum distinguit, et quasvis dubitationes ab aliis prolatas ita accipit, tanquam in omnium fortunarum et possessionum discrimen adduceretur. Non dubitavi itaque, laudatos quoque viros admonere, a quibus si ipse admonerer, vel etiam reprehenderer, non modo facile paterer, verum etiam vehementer gauderem. Omnibus denique idem jus in me ipsum measque cogitationes lubenter concedo, quod ego quidem mihi in alios aliorumque opiniones sumsi.

In utraque hujus libri parte aliquoties dixi, me capita quaedam alibi accuratius enucleaturum esse. His promissis proximo anno me primae saltem laboriosi operis partis editione liberare incipiam, quo omnium disciplinarum inter Graecos atque Romanos ortus, progressus atque inclinationem summa fide exponere conabor.





SECTIO PRIMA.

Quaeritur: an sola rationis vi demonstrari possit, non esse plures uno Deos? An porro populi unquam aut sapientes exstiterint, qui ad ejus veritatis cognitionem absque institutionis divinae ad ipsos propagatae auxilio pervenerint?

Onnes fere, quotquot gravem hanc quaestionem de veri Dei inter omnes populos notitia vel nostra aetate vel patrum quoque memoria agitaverunt, in duas praecipue contrarias partes discessisse invenio. Multi enim ingenio ac doctrina praestantes viri sum-



mi numinis majestate ac benignitate, nec non humanae naturae excellentia indignum judicaverunt, doctrinam de uno omnium rerum conditore ac moderatore, qua nulla humano generi magis salutaris ne cogitari quidem possit, inter universas gentes per longam saeculorum seriem, incognitam prorsus atque extinctam fuisse. Stabant igitur, inter quasdam nationes reliquias caelitus quondam delapsae veritatis remansisse, ad alias vero unius praestantissimae mentis cognitionem longinquis populorum vel singulorum hominum migrationibus pervenisse, alias denique eandem notionem omnium hominum mentibus impressam ex se ipsis atque e diligenti naturae, imprimis coelestium rerum, contemplatione hausisse. Tantam vero in hominis solertia fiduciam reponabant, ut solum ipsi caeli aspectum suffecisse putarent, ad sublimem cogitationem recuperandam, si ea forsitan per aliquod tempus vel obscurata, vel, quod parum verisimile sit, prorsus perdita fuisset. Quodsi igitur horum virorum decreta sequi volumus; nulla unquam gens adeo barbara, tamque immanitate efferata



efferrata inventa est, in qua non manifesta vel obscuriora saltem opinionis, de uno supremo Deo, vestigia deprehensa fuerint.

Alii contra iique pietate & laudabili verae religionis defendendae studio insignes viri divinae naturae cognitionem adeo arduam ac difficilem existimarunt, ut eam omnes humani ingenii vires longe superare judicaverint. Fidenter igitur, nec ulla historiarum veterumque scriptorum ratione habita, pronuntiarunt, nullum unquam populum sive hominem extitisse, qui sola ratione duce ad unius praestantissimae mentis notionem sese erexerit. Hanc vero singularem opinionem imprimis propterea amplexi sunt, & summo ardore defenderunt, quod semel sibi persuaserant, divinis institutionibus tantum dignitatis decedere, quantum humanae rationi tribuatur, remque christianam salvam esse non posse, si illud unquam concedatur, hominem sibi ipsi relictum, nec ulla divina ope adjutum, sola diligenti naturae observatione ad veram Dei cognitionem pervenire potuisse. Omne itaque studium in depri-

menda



menda rationis ac consilii vi atque auctoritate collocarunt, illud non satis reputantes, divinum rationis donum ab eadem summi numinis benignitate proficisci, cui sacras quoque litteras ac disciplinas acceptas referimus, eumque, qui mentis humanae excellentiam criminetur, non minus iniquum divinorum beneficiorum aestimatorem censendum esse, quam qui caelestium doctrinarum auctoritatem imminuere audeat *).

Licet vero utramque sententiam multis Historicorum monumentis refelli exploratum habeam; non minus tamen certum est, illam, quae in mentis nostrae vires paulo iniustior est, ad veritatem propius accedere, quam alteram istam, quae rudium nullaque doctrina excultorum animorum imbecillitati plus justo tribuit.

In

*) Non possum mihi temperare, quin pauca eaque praeclara Melanchthonis verba huc pertinentia apponam. Attingitur: Proinde sic statuemus, nihilo minus divinae praecepta esse ea, quae a sensu communi & naturae iudicio mutuati docti homines gentiles litteris mandarunt, quam quae extant in ipsis saxeis Moisi tabulis -- Neque ille ipse coelestis pater plura a nobis fieri eas leges voluit, quas in saxo scripsit, quam quas in ipsas animorum nostrorum sensus impresserat etc. Praef. in Hes. P. 24. 25.



In universae enim philosophiae ambitu vix aliam notionem, vel enuntiationem inveniri puto, quam mens humana tam sero apprehenderit, quae tot porro tamque difficiles aliarum rerum cognitiones requirat, quae denique perfectae atque ad maturitatem perductae rationis fructus tanto jure appellari possit, quam haec doctrina: esse aliquod numen praestantissimae mentis, quo haec omnia condita sint atque regantur. Nisi enim homo coelestium corporum magnitudines, ordines & motus, temporumque vicissitudines & opportunitates perspexerit; nisi porro assidua naturae observatione intellexerit, omnium stirpium, animalium, hominumque figuras & corpora ita formata esse, ut neque ad usum meliora, neque ad speciem pulciora esse possint, nec ullam unquam rem vita, sensu & ratione praeditam ex inanimis, & sensu consilioque carentibus naturis existere potuisse: nisi praeterea senserit atque cognoverit tam incredibilem mundi ornatum & ordinem, tamque innumerarum rerum utilitates neque sine causa neque etiam sola fortunae vi, vel casu quodam ac necessitate, vel coecae denique



quæ cujusdam naturæ motibus atque ponderibus effici potuisse; nisi illud tandem perviderit, in immensa hac rerum universitate nihil jure reprehendi posse, eademque ipsa, quæ multorum animos terrere, atque foedis superstitionibus replere solent; tempestates, nimbos, grandines, terræ motus, incendia, morbos, nec non hominum quoque vitia ad summam mundi perfectionem atque pulchritudinem pertinere, sine hisce vero, quæ ab imperito vulgo mala appellantur, admirabilem illam rerum copulationem, quæ coelum, terra, maria, tanquam unius corporis membra, continentur, dissipatum iri: nisi inquam humana ratio has saltem maximarum ac difficillimarum rerum notitias consecuta sit; eandem nunquam eo usque progredi posse existimo, ut unam præstantissimam naturam cognoscat, cujus vi atque virtute omnes res tanta arte, quantam nulla mens, nullum consilium assequi possit, effectæ atque descriptæ sint.

Quod vero unius Dei cognitio accuratam naturæ interpretationem, et plurimarum rerum
intel.



intelligentias sequatur, non vero antecedit, fatis quidem ex diligenti consideratione argumentorum, quibus illa innititur, & itinerum, quibus mens humana ad illam pervenire potuit, intelligitur; idem tamen omnium luculentissime Graecorum historia declarat, qui omnium, quos mihi cognoscere licuit, populorum soli natura duce sensim & post longos summorum ingeniorum errores ad hanc opinionem tanquam ad summum philosophiae fastigium ascenderunt. Insequentibus pluribus ostendam, ipsam Graeciam, omnis humanitatis matrem, omniumque litterarum inventricem, non nisi sero, postquam sapientissimae leges inventae, caeterae vero artes ad summam prope perfectiorem perductae, omniaque subtilissimarum argumentorum genera fere exhausta essent, unum tantum mundi hujus genitorem ac moderatorem cognovisse. Quanta vero non solum inveniendae, sed retinendae quoque hujus sententiae difficultas sit, Israelitarum imprimis & Christianorum exemplis ostenditur. Licet enim illi veram de Divina natura doctrinam ab ipso summo numine edocti essent, coelestisque institutio in-



numeris beneficiis atque miraculis eorum menti-
 bus insculpta esset, saepissime tamen a vero
 Deo, quem non solum tanquam mundi, verum
 etiam tanquam gentis suae conditorem & legisla-
 torem venerabantur, ad peregrina sacra & foeda
 aliarum gentium numina desciverunt, meo
 quidem iudicio illam imprimis ob causam, quod
 rudis, omniumque litterarum expertis natio
 illis cognitionibus orbata esset, quibus tan-
 quam fundamentis firmam illam ac stabilem
 unius Dei notitiam inaedificatam esse oportet,
 quam nullae exemplorum illecebrae perver-
 tere, nullae rationum machinae convellere que-
 ant. Eodem fere modo omnes populi, quot
 quot a septimo aerae nostrae saeculo post fata-
 lem omnium fere Litterarum extinctionem Chri-
 stianae religioni sese addictos esse profitebantur,
 in nefandas superstitiones inciderunt coelumque
 tot novis et adscriptitiis utriusque sexus numi-
 nibus, terram vero tot mortalium Deorum de-
 lubris atque simulacris replerunt, ut veri Dei
 cultus prope relinqueretur, ejusque nomen non
 minus quam sacrorum librorum tituli Christia-
 nis scilicet hominibus inauditum esset,

Quae



Quae cum ita se habeant, mirari amplius non possumus, in universum omnes gentes, quotquot a primis inde temporibus terrarum orbem incoluerunt, vel adhuc durant, (soliis Israelitis, Graecis atque Christianis exceptis, quique ab his vel litteras, vel religiones derivarunt) verum Deum profus ignorasse. Praeter eximias hasce nationes, quas jamjam nominavi, nulla unquam alia fuit, quae in observanda ac interpretanda natura tantos progressus fecisset, vel infinitam rerum universitatem, et corporum coelestium immensitates motuumque, quibus cidentur, incredibilem celeritatem, et aeternam constantiam, temporum porro vicissitudines, omniumque stirpium et animantium utilitates et habilitates ita perspexisset, ut inde concluderet, hanc tantam rerum inter se continentium molem neque casu seu fortuna, neque etiam necessitate, pluriumve architectorum machinationibus, sed unius tantum praestantissimae mentis vi ac consilio generari, atque coagmentari potuisse. Quod si igitur libera, ac nullis praeiudicatis opinionibus occaecata mente totum terrarum orbem perlustramus;



non paucos deprehendimus populos urgentibus
ferae ac immanuetae vitae miseris, coeli nempe
inclementia, terrarum sterilitate, perpetuis
bellis, nec unquam denique intermittente quo-
tidianum victum summis cum laboribus quae-
rendi studio adeo efferatos, ut Deorum natu-
ram ne suspicati quidem sint. Quicumque vero
divinas quasdam naturas cognoverunt ac vene-
rati sunt, ii omnes vel infesta tantum et homi-
num felicitati insidiantia numina timuerunt,
quorum iracundia animantium sanguine, vel
humanis etiam hostiis placanda esset, vel si
praeter malos daemones amicos quoque homi-
num generi alios coluerunt, hos ita vanos cu-
pidos, irritabiles, breviter omnibus fere hu-
manis infirmitatibus ac vitiis ita inquinatos co-
gitarunt, ut eosdem ad perditissimorum homi-
num exempla efformatos esse, credere possis.
Quis enim quaeso populus nominari potest, qui
non in illa fuisset opinione, Deos suos blandis
appellationibus, abjectis precum adulationibus,
humilibusque corporis flexionibus titillari, eos-
dem praeterea donis ac sacrificiis vel leniri vel
corrumpi, hominumque instar pretiosis vesti-
bus



bus ceteroque ornatu, nec non vocum ac fidium cantibus, pomparum dierumque festorum celebritate, magnificis domiciliis, longa ministrorum turba, delicatis cibis ac potionibus, obscœnis denique voluptatibus oblectari? Quot porro gentes inveniri posse putamus, quae non levissimos errores vel in recitandis solennibus precationum verbis, vel in ducendis pompis, ludisve et sacrificiis procurandis, vel in exorandis denique Deorum templis ac imaginibus tanquam nefanda crimina amplissimis donis varioque lustrationum genere expiandos esse duxisset? Quis unquam populus ita bene de numinibus suis existimavit, ut sancta eorum templa non casto tantum corpore, sed pura ac integra mente, acceptissimo nimirum Diis sacrificio, adeunda esse statueret? Quis non illud potius sibi persuasum habuit, parricidia, rapinas, adulteria, aliaque flagitia certis ritibus, imprimis adspersionibus atque ablutionibus deleri posse, deorumque gratiam non tam virtute et recte factis sed ritibus quibusdam accurate observandis, et profusa erga ipsos liberalitate impetrari. Infinitum foret, si omnes istos po-



pulos enumerare vellem, qui omnibus his erroribus et superstitionibus vel maxima saltem earum parte obstricti fuerunt; illud tamen persuasum habeo, atque in sequentibus demonstrare annitar, nullum extitisse praeter illos quos supra excepi, qui non pluribus modis turpiter erraverit, atque de divina natura indigne senserit. Neque etiam facile intelligitur, quomodo res aliter accidere potuerit, quum inter plurimas gentes timor ac metus Deos fecerint, inter alias foeda adulatio, inter multas lucri cupido, inter quasdam grata beneficiorum memoria, inter alias denique admiratio, quam coelestium corporum non tam infinitae magnitudines et sempiterna constantia, quam salutes eorum in maturandis fructibus vel illustrandis tenebris effectus in rudibus animis excitarunt: praeter Graecos vero nullus unquam fuerit populus, qui a sero inchoata, et sensim amplificata naturae cognitione per gradus quasi ad divinum ejus auctorem penetraverit.

Ne tamen nimia audacia adversus nobilissimas et vetustissimas gentes grassari videar; in
singula



singula descendam, et qua possum maxima brevitate, in eorum populorum religiones atque de Deorum natura opiniones inquiram, qui quondam praeter Graecos artium atque disciplinarum cultura inclaruerunt, vel nostra adhuc aetate florent. Sejungam vero ab hac disputatione immensas barbarorum et agrestium hominum turbas, qui ad meliorem ac mansuetiorem vitam nondum progressi vel priscis vel nostris temporibus innotuerunt; illudque tanquam ab omnibus concessum ponam, inter ejusmodi populos unius praestantissimae mentis notitiam non magis quam perfectum et omnibus numeris absolutum vel picturae vel artis statuariae opus inveniri posse. Neque enim longa argumentationum serie opus esse existimo ad illud efficiendum, ejusmodi homines qui nondum sentiunt, quid ordo, quid pulcritudo, quid venustas, quid partium convenientia sit, in quibus nulla veritatem, resque occultas investigandi cupido, summus contra stupor, et incredibilis pigritia inveniuntur, qui praeterea ad id tantum, quod adest, quodque praesens est, sese accommodant, praeteritum vero atque futu-



rum non curant, neque igitur rerum causas eorumque progressus vident, sed omnia, quae ipsis eveniunt, commoda atque incommoda, in primis morbos, vulnera, mortes vel Diis vel malorum hominum incantationibus assignant, ejusmodi inquam homines prae animorum suorum infirmitate atque angustiis ad omnium fructuosissimam & difficillimam veritatem sponte pervenire non potuisse.

Quod si immensas Americae regiones ac solitudines mente peragramus, et omnes, quae per illas quondam sparsae fuere vel adhuc in illis delitescunt, gentes vel ex ipsarum sedibus vel ex annalium quoque monumentis excitamus, nullam certe inveniemus, quam unum verum Deum cognovisse, ac veneratam esse suspicari possimus. Peruanos enim et Mexicanos, qui omnium fere soli agrestis vitae immanitatem exuerant, vel coelestia corpora eorumque progeniem, vel saeva quoque numina detestandis ritibus atque sacrificiis coluisse notum est. Quod si igitur quorundam hominum vel ignorantia, vel etiam in conjectando audacia eo, usque



que progressa est, ut vel his vel multo ferocioribus populis summi numinis notitiam affingerent; eorum somnia consulto praetermittere nullus dubito. In totius porro Africae ambitu praeter Aegyptios nullum hominum genus vel olim inventum est, vel nostra adhuc aetate existit, cui veri Dei cognitio cum aliqua verisimilitudine tribui possit. In Aegyptiorum itaque opinionibus ac sacris paulo longius immorabor, antequam ad caeterarum Asiae ac Europae gentium antiquitate rebusque gestis illustrium religiones explorandas procedam; et primum quidem inquiram, an universa unquam Aegyptiorum natio mundi hujus conditorem et moderatorem coluerit, tum vero, an non saltem Aegyptiorum sacerdotes sapientiae laude per totum quondam terrarum orbem inclyti accurato rerum humanarum ac divinarum studio ad naturae auctorem perducti fuerint?

Sectionis primae alterum momentum:

Quo Priscorum Aegyptiorum Religio, et gentis hujus sacerdotum de divina natura opiniones illustrantur.

Dolendum sane est, Cudworthum, Jablons-



ki, aliosque doctos viros, qui unius Dei cultum inter antiquissimos Aegyptios invenisse sibi videbantur, in adeo vanam opinionem incidisse, dumque eam omnibus modis defendere conantur, ad multo futiliores conjecturas, et interpretationes devolutos esse. Quodsi enim gravissimos scriptores sequi volumus; statuendum nobis est, Aegyptios a primis inde temporibus ad Graecorum usque imperium et Romanorum dominationem praeter solem et lunam, turpissimasque bestias, nec non innumeras imagines ad hominum ferarumque similitudinem effictas nullum aliud numen tanquam mundi formatorem divinis honoribus prosecutos esse *). Non solum enim omnium aetatum auctores uno ore testantur, Aegyptios foedissimis semper superstitionibus deditos omnis generis divina portenta adorasse, verum etiam in universum omnes, quotquot fidem aliquam merentur, prorsus ignorant, summum aliquod numen tanquam re-

rum

*) Moles, Herodotus (Lib. II) et Plato pluribus locis, Diodorus porro Lib. I, Strabo XVII, Diog. I. 4. Chaermon ap. Porph. in ejus Epistola ad Anebonem.



rum omnium auctorem ac rectorem ab omnibus Aegyptiis unquam cultum fuisse. Nonne vero monstri simile foret, tot tantosque viros, quorum plerique tam diu in Aegypto commorati sunt, ut haec regio ipsis altera fere patria esset, quique praeterea omnes Aegyptiorum ritus, manes ac sacra summa fide & industria in litteras retulerunt, hos inquam viros nullo excepto ita coecutiisse, ut, quem Nili Accolae adorabant, Mundi opificem, ejusque nomen ac religiones non animadverterent. Neque porro id satis attendisse videntur feruidi nimis Aegyptiorum defensores, ejusmodi animantium cultum, qualem inter Aegyptios viguisse negari non potest, et veri Dei cognitionem ac venerationem res prorsus dissociabiles esse. Belluarum vero consecratio adeo in Aegypto antiqua erat, ut cum ipsa gente nata esse videretur *); neque igitur video, quomodo Aegyptiis per immensum illud temporis spatium, quod vel vera Historia, vel incertior fama, complectitur, veri Dei cultus cum aliqua veri similitudine tribui

B 5

queat.

*) Vide meine vermischte Schriften. 7te Abh.



queat. His rationibus illam denique adjicio, ne Manethonem quidem, omnium certe, quos Aegyptus aluit, sacrificulorum impudentissimum, genti suae numen aliquod praestantissimae mentis vindicare ausum esse.

Licet igitur inveniamus, tot gravissimorum virorum vel silentio vel apertis quoque testimoniis recentiorum quorundam & paene delirantium hominum auctoritates pugnare; neminem tamen harum rerum vel mediocriter intelligentem addubitare posse arbitror, utra pars ipsi sequenda sit. Inprimis vero ad seriorum Platoniorum opiniones magis quam testimonia provocant Cudworthus atque Jablonski, quando inter antiquiores Aegyptios doctrinam de vero Deo extitisse, evincere fatagunt. At quorum quaeso hominum! eorum scilicet, qui multis saeculis ab illa aetate distabant, qua prisca Aegyptiorum Religio aliarum gentium fabulis ac superstitionibus nondum corrupta erat, qui in eo omne suum studium collocabant, ut dissimillimas Graecorum Philosophorum disciplinas, nec non discrepantes omnium populorum reli-



religiones inter se conciliarent, qui omnium denique, quotquot per totum terrarum orbem adorarentur, Deorum cultores videri volebant, proptereaque in vetustissimas quasque religiones opinionum suarum portenta vel aperta vi, vel fraudulentis interpretationibus inferre conabantur. Horum itaque hominum testimoniis, nec non nugivenduli cujusdam Grammatici, fictarumque Inscriptionum auctoritatibus inniuntur paulo ante nominati viri, quando de summo Aegyptiorum Deo, ejusque nominibus loquuntur. Ex his vero duumviris alter adeo futiliter nugatur, atque contra vetustissimorum scriptorum consensum vel tam audacter pugnat, vel scriptorum quoque loca tam violentis interpretationibus detorquet, ut ipsius argutias tanquam omni veri similitudine destitutas nec ulla seria refutatione dignas praetermittere non dubitem.

Jablonski vero non solum praeclara doctrina, sed acerrimo quoque ingenii acumine tantam inter eruditos famam consecutus est, ut quatuor illa nomina, sub quibus Aegyptios vel



eam naturam, e qua omnia effecta sunt, vel causam quoque efficientem, quae rerum universitatem procreavit, adorasse opinatus est, singillatim excutere mihi proposuerim. Et primo quidem existimavit, Aegyptios rudem illam ac informem materiam, e cujus sinu res omnes eductae sint, Athor sive Venerem appellasse, hancque Venerem cum Orphicorum nocte, vel incognitis tenebris eandem fuisse. Ad confirmandam hanc conjecturam Orionem Grammaticum adduxit, testantem, Venerem ab Aegyptiis Athor nomine indigitari. Sed vereor, ne tota J. conjectura Venerisque in Orphicorum noctem, et nescio quas Damascio memoratas tenebras conversio, Orionis errori inaedificata sit, atque cum hujus erroris refutatione corruat. Plutarchus enim (p. 374. de Is. et Os. Edit. Franc.) testatur, Isidem praeter alias innumeras appellationes, ob quas ipsius tempore *μυριονομος* vocabatur, *μῆδ* quoque, et *Αδύρη* nec non *μῆδωρ* nominibus insignitam fuisse. Doctissimus igitur vir artificiosis argumentationibus suis superfedere potuisset, si tum, quum illas
litteris



litteris mandaret, apertum Plutarchi testimonium ipsi in mentem venisset. Citatus enim locus nullam dubitationem relinquit, Aegyptiorum Athor neque Graecorum et Orientalium coelestem Venerem, neque Orphicorum noctem sive Tenebras, multo minus aeternam, e qua omnia generata sunt, materiam, sed omnibus notum Isidis numen significasse.

In sequenti capite vir eruditissimus lectoribus suis persuadere studet, Aegyptios summum aliquod numen Vulcani nomine adorasse, cujus vi ex Venere illa sive aeterna materia universus mundus genitus sit. Provocat in primis ad Jamblichi locum (de Myster. Aeg. VIII §.) aliorumque testimonia, qui Aegyptiorum Phtan vel Vulcanum omnium Deorum patrem ac Praesidem vocarunt.

Illud quidem certum est, Deum quendam Aegyptiorum sermone Phtan, Graecorum vero lingua Vulcanum appellatum inter antiquissima Numina a Nili accolis cultum fuisse. Herodotus enim Vulcani pluribus locis mentio-



nem facit (II. 99. 101. 176. III. 37). Praeter Herodotum vero Strabo etiam XVII. p. 801. Ed. Cas.) nec non Cicero (de N. D. 22.) et Diodorus (I. p. 16. Ed. Wessel.) eundem Vulcanum inter Aegyptiorum Deos referunt. Horum vero scriptorum nullus Vulcanum tanquam rerum omnium auctorem laudat. Herodotus contra ac Strabo illum pro Memphiticae regionis et urbis custode habuisse, videntur: Cicero eundem a Nilo genitum atque totius regni praesidem esse testatur: Diodorus denique narrat, five potius conjicit, suae Aetatis Aegyptios in hoc Deo igneam naturam veneratos esse. Si diligenter porro attendas, ne ipse quidem Porphyrius atque Jamblichus Jablonskii causae patrocinantur. Ille enim apud Eusebium (Praep. Evang. III. XI.) Vulcanum ex ovo quodam *natum esse* ait, quod Kneph, summus omnium rerum auctor, ex ore suo procreaverit. Jamblichus vero, qui somnia sua omnibus oraculis obscuriora partim ex viginti vel XXXVI librorum Hermeticorum millibus, quorum mentionem facit (VIII. I.) partim ex tenebricosi ingenii sui profunditate hauserat,



Phtan vel Vulcanum longo intervallo post, immotum et in unitate sua perdurantem Deum ponit, eumque, inter mundi hujus gubernatores refert, qui primi illius Dei potestati omnes subiecti sint. Horapollo denique (I. 12. 13. 61. 64.) testatur, Vulcanum longe aliis signis vel symbolis adumbrari, quam *εγκοσμίου* Aegyptiorum Deum, quem *κοσμοκράτορα* quoque et *πρωτοκράτορα* appellat, neque hic igitur Vulcanum pro summo Aegyptiorum Deo habuisse videtur. Alio vero loco pluribus ostendi, Deum illum, quem Horapollo mundo immixtum, et omnia regentem Aegyptiis adscripsit, ceteris imperiti hujus Grammatici figmentis annumerandum esse *).

Inter Vulcanum porro, ac Saitanorum Neitham sive Minervam tot tamque insignes similitudines sese deprehendisse putabat Jablonski, ut sub duabus his appellationibus unum tantum

*) Vide cap. X. meines Versuchs über die Religion der ältesten Aegyptier.



tantum numen ab Aegyptiis cultum fuisse non dubitaret. Rationes vero, quas pro hac conjectura sua profert, ex famosa illa templi Saitani inscriptione (ap. Phil. p. 354. et Procl. in Tim. Plat. p. 30.) *) nec non ex Horapollinis quodam testimonio petitae sunt, quo ex omni Aegyptiorum Deorum numero soli Vulcanus atque Minerva utriusque sexus participes fuisse dicuntur.

Ad inscriptionem quod attinet, non possum non Moshemii partibus me adungere, qui fictam illam ac commenticiam esse multis victricibus rationibus demonstravit, inter quas illa mihi omnium firmissima esse videtur, quod hujus inscriptionis neque Herodotus ac Plato neque etiam Strabo et Diodorus meminerint. Illa vero argumentandi ratio, qua ex unica duorum numinum similitudine concludit, alterum ab altero plane diversum non fuisse, meo quidem judicio ipsi sanae rationi vim afferre videtur.

*) ΕΓΩ ΕΙΜΙ ΠΑΝ ΤΟ ΓΕΓΟΝΟΣ, ΚΑΙ ΟΥ, ΚΑΙ ΕΣΟΜΕΝΟΣ, ΚΑΙ ΤΟΥ ΕΜΟΝ ΠΕΠΛΟΝ ΕΔΕΙΣ ΠΩ ΑΠΕΚΚΛΥΨΕΝ.



tur. Tota porro conjectura luculentissimis Plutarchi testimoniis refellitur, (p. 354 376.) quibus sine ullis ambagibus declaratur, Isidem ab Aegyptiis saepius Minervam appellatam hancque cum Neitha eandem fuisse. Neque igitur Vulcano neque Ifidi etiam injuriam me facturum esse arbitror, si utriusque nomina ex illarum appellationum numero delevero, quibus summum quondam numen in Aegypto insignitum fuisse putatur *).

Ad ultimum denique, supremi Dei vocabulum, Kneph nimirum progredior, de quo Jablonski opinionem suam Lib. I. c. 4. exposuit. Hunc Kneph expressis verbis Porphyrius (ap. Euseb. III. 12.) pro maximo Aegyptiorum Deo declarat, a quo mundum univērsū genitum esse existimaverint.

Plures

*) Plato certe tantam Neithae majestatem non cognovit; eam enim unius tantum urbis praefidem appellat. *οἱ τῆσ' πόλεωσ' θεοσ' ἀρχηγοσ' εἰσιν, Αἰγυπτισι μὲν τενομα Νηϊθ, ἑλλητισὶ δὲ ὡσ' ὁ ἐκείνων λόγος, Ἀθηνᾶ.*



Plures vero eaeque gravissimae rationes adsunt, quare Porphyrii testimonium nulla prorsus fide dignum esse existimem. Sicuti enim hic Plotini discipulus vetustissimis Graecorum Poetis, omnibus porro Graeciae aliarumque terrarum populis suam de divina natura opinionem affinxerat, ita quoque Aegyptiis eandem commodare sibi proposuit. Arripiebat igitur magnificentum, uti ipsi saltem videbatur, *αγαθὸν δαίμονος* verbum, eoque summum quoddam Aegyptiorum numen designari audacter pronuntiabat. Ceterae vero Porphyrii narrationis partes de nescio quo avo ex Agathodaemonis ore generato, et Vulcani iterum parente, ipsum vel credulitatis vel mendacii manifeste arguunt: nullum enim alium scriptorem adduci posse, certe scio, cui haecce portentosa audita fuerint. Omnes contra testantur, innoxium quoddam serpentum genus in Thebaica regione extitisse, eosque sub *αγαθὸν δαίμονων* nomine primum in Aegypto, postea vero in aliis quoque terris ad-

ratos



ratos esse *). Nescio vero, quare Porphyrius sola *αγαθὸς δαίμωνος* appellatione permotus in Thebaico serpente summum numen latere existimaverit, quum Aegyptii innumeras alias bestias pro Diis colerent, et alias quoque res, Nilum inprimis, eodem splendido titulo designarent. Porphyrius vero non tantum pueriliter credulus, atque in conjiciendo summopere audax erat, verum etiam diversis temporibus adeo parum sibi constabat, ut nihil facilius sit, quam unum ipsius iudicium atque testimonium aliis pluribus locis ex ejus scriptis desumptis refutare. Hac inconstantia factum est, ut easdem illas Aegyptiacarum religionum interpre-

C 2

ta-

*) Vide Herod. II. 74. Plut. p. 359. denique Lamp in Vita Helvig. c. 18 Plutarchus tamen in eo ab Herodoto discedit, quod dicit, Thebanos propterea nihil ad sepelienda divinorum animantium corpora contulisse, quod Kneph suum pro immortali numine antiquitus habuerint, quum Herodotus claris verbis testetur, Thebanos sacros suos serpentes in Jovis aede condidisse. Non improbable est, Plutarchum idcirco in hunc errorem incidisse, quod audiverat, omnia serpentum genera pro immortalitatis sive aeternarum naturarum simulacris haberi.



tationes, quae apud Eusebium alibique inveniuntur, in sua ad Anebonem Epistola, penitus sustulerit, vel ita saltem debilitaverit, ut satis appareat, illum in extrema vitae suae parte longe aliter hisce de rebus sensisse. Quum igitur inter alias opiniones suam quoque de *αγαθη δαιμονος* natura, conjecturam ipse quasi refellerit; supervacaneum esse arbitror, in impugnanda illa majorem temporis vel operae jacturam facere.

Quamvis vero confidam, haecenus a me allatas rationes tantum ponderis apud plerosque lectores habituras esse, ut verum Deum nunquam ab universo Aegyptiorum populo cognitum fuisse mecum fateantur; facile tamen praevideo, illud plerisque incredibile prorsus visum iri, quod jam probare aggredior, ne ipsos quidem Aegyptiorum sacerdotes recte ac digne de divina natura cogitasse. Fama enim ac communis opinio de sacerdotum Aegyptiorum sapientia, deque magnificis scientiarum divitiis a Thalete, Pythagora, Democrito, Platone atque Eudoxo ex Aegypto in Graeciam de-

portatis



portatis, de arcana porro quadam disciplina, summo studio celata, et ne cum exterarum quidem sapientibus viris nisi post longas et aerumnosas probationes communicata, de vera denique summi numinis notitia ab Orpheo, Aegyptiorum discipulo, per Graeciam disseminata, ita altas in omnium fere doctorum hominum animis radices egit, ut non sine diffidentia quadam ad falsam hanc et inveteratam opinionem evertendam accederem, nisi certissimis Historiae monumentis, multisque aliis probabilibus rationibus memet subnixum esse conscius mihi forem.

Et primo quidem illud animadvertendum est, neque in reipublicae, quam Aegyptii adoptaverant, forma, neque etiam in antiqua sacerdotum ordinis constitutione ulla causas inveniri, quare suspicari possimus, in hac gente ullum hominum genus splendidis vel praemiorum vel laudis et dignitatum incitamentis ad colenda scientiarum studia valde excitari debuisse. Quivis contra rerum Aegyptiacarum non prorsus ignarus tum in ipsorum Reipublicae



caae forma, tum in sacerdotum conditione multa
 eaque gravia impedimenta deprehendet, qui-
 bus sapientiae studium atque naturae investiga-
 tio non poterat non vehementer retardari. Re-
 gia imperantium potestas non magis certis
 legibus circumscripta erat, quam eorum prin-
 cipum dominatio, quibus ab omni tempore
 magni Asiae populi, ad servitutem nati, subiecti
 fuerunt. Tantum itaque poterant Aegyptiorum
 reges, quantum ingenio atque audacia vale-
 bant, eorumque auctoritas nulla alia re, nisi
 sacerdotum ambitione, divitiis, summaque apud
 plebem auctoritate coercebatur. Hinc accide-
 bat, quod in ceteris quoque ejusmodi rerum,
 publicarum formis usu venire solet, ut omnes
 fere Aegyptiorum reges, quotquot excelsos
 jugique impatientes animos gerebant, quosvis
 ordines ante se prosternerent, et per sacra
 atque profana sine discrimine grassarentur.
 Quodsi contra bona sacerdotum fortuna pusil-
 lanimos et superstitiosos homines in regali
 Pharaonum Solio collocabat, tum sancti scili-
 cet viri regnum vel regni gubernacula invade-
 bant, atque sub regii nominis umbra rempu-
 blicam



blicam administrantes imperantium imbecillitatibus ad res suas augendas abutebantur. Hinc non poterat non inter Aegyptiorum Reges et sacerdotum consilium vel infida pax esse, vel perpetua quoque odia, et intestinae discordiae oriri, quum utraque pars nullo non tempore sibi invicem infidiaretur, atque sacerdotes regiam potestatem, reges vero immensam sacerdotum ambitionem comprimere studerent. Ne tamen lectores fictam fabulam haecenus a me enarratam esse credant, breviter tantum illos admonebo, primum universam Josephi, sanctissimi viri, historiam, tum Israelitarum servitutem, et ignominiosam ex Aegypti finibus expulsionem, deinde ipsam de Sesostris fabulam et acerbis Aegyptiorum sacerdotum querelas de pluribus, quorum memoriam execrari solebant, regum crudelitate atque vexationibus *), ante omnia vero Psammetichi atque

C 4

Ama-

*) Aristotelem quoque eandem de Aegyptiorum republicae forma opinionem habuisse, ex illustri loco apparet, (v. de Rep. c. 11.) quo omnia impotentis Tyrannidis vel dominatus indicia enumerat, atque de Aegyptiorum regibus



Amasidos res gestas eorumque erga Graecos benevolentiam (Herod. II. 154. Diod. I. 18.) totidem infinitae regiae potestatis monumenta exstare. Quum igitur Aegyptiorum reges vel foedam servitutem servirent, vel omnia quoque, sacerdotum inprimis, collegia superbo ac crudeli dominatu opprimerent; quivis sponte intelliget, atque fatebitur, eosdem vel nihil vel parum ad excitanda et promovenda litterarum studia facere potuisse.

Neque etiam ipse sacerdotum ordo ita constitutus erat, ut illum in inventendis et amplificandis scientiis magnopere laborasse verisimile sit. Hoc enim hominum genus mala et insatiabili ambitione adeo exstimulabatur, ut tandem in omnium fere publicorum munerum possessionem venerint, et nihil neque privatae neque publicae rei sine illorum consiliis gereretur.

gibus ita loquitur : και το πεινητας ποιειν της αρχομενης τυραννικον — παραδειγμα δε τειτα αι τε πυραμιδες αι περι Αιγυπτον και τα αναθηματα των κυψελιδων. — παντω γαρ ταυτα δυναται ταυτον ασχολειν και πειναν των αρχομενων.



retur. Ut enim innumera templa, sacrificia, et caerimonias, quibus praeerant, sacrarum porro bestiarum curam, et infinitorum paene agrorum administrationem taceam; iidem quoque judicia, morborum curationem, omnium incantationum genera, variasque vel e somniis atque ostentis, vel e victimarum extis et corporum coelestium motibus divinandi artes occupaverant. Postremo regiam juventutem instituendi, ipsosque reges consiliis suis regendi provinciam ad se pertinere arbitrabantur. Quum igitur tot tanque multiplicia et ardua negotia ipsis incumberent, et demandata essent, minime probabile est, excelsa quaevis atque ad imperandum nata ingenia in templorum recessus atque tenebras sese abdidisse, ut naturae arcana in lucem protraherent. Multo probabilius est, eadem in clarissima potius iudiciorum et aulae luce versari voluisse, ubi virtuti atque industriae suae, amplissima praemia proposita esse videbant. Hisce studiorum impedimentis illud tandem accedebat, quod omne doctrinae genus sacerdotibus, tanquam ipsis propriae possessionis traditae, erat, cetera vero



Aegyptiorum turba a naturae studio, atque a discendis ac docendis disciplinis antiquis legibus arcebatur. Quum igitur praeter honores et dignitates artes quoque ac disciplinae a parentibus ad filios veluti hereditario jure propagarentur; non poterat non fieri, quin omnes aemulationis stimuli non solum in reliquorum Aegyptiorum sed sacerdotum quoque animis obtunderentur, quippe qui probe scirent, nullos sibi aemulos timendos, et honores ac dignitates sine ullis suis laboribus sponte ad ipsos perventuros esse. Inter omnes vero gentes, quae uni tantum hominum generi artes ac disciplinas ita assignarunt, ut ceteris omnibus civibus aditum ad illas praecluderent, nulla unquam exstitit, quae praeclara eruditione, vel inventorum amplitudine magnam famam consecuta esset. Multae contra nationes nominari possunt, quae vel nunquam in literis ultra jejunam quandam mediocritatem surrexerunt, vel in pristinam quoque infantiam atque barbariem propterea relapsae sunt, quod omne doctrinae studium vel a primis inde temporibus certorum hominum potestati tradiderunt, vel subsequen-



sequentibus etiam aetatibus, quum disciplina-
rum cultura fato quodam ad paucos delata esset,
strenuum in libertatem sese vindicandi confi-
lium non opportuno satis tempore ceperunt,
atque exsecuti sunt. Non vana itaque conje-
ctura est, ab Aegyptiis quoque simili modo et
eandem ob causam sapientiae et naturae studia
neglecta, atque ab illorum sacerdotibus multo
fructuosioribus negotiis postposita fuisse, prae-
sertim quum sine ullo magnifico doctrinae ap-
paratu viam sibi ad amplissimas dignitates ape-
rire possent.

Sed omnibus hisce probabilibus argumentis
facile carere possum in summa certissimorum
testimoniorum copia, quibus ostenditur, Aegy-
ptiorum sacerdotes in ipsis illis disciplinis,
quae omnium primae inveniri et excoli solent,
infantes fuisse. Ut igitur ab Aegyptiorum hi-
storia ordiar; gloriabantur quidem eorum sa-
cerdotes, omnes memorabiles gentis suae res
gestas per multa annorum millia ab ordinis sui
hominibus summa fide ac diligentia conscripta
fuisse, jactabant praeterea incredibilem gentis



antiquitatem, despiciebant Graecos aliosque populos tanquam recentes e terra natos, enumerabant infinita Deorum regna, nec non innumeras regum et summorum sacerdotum successiones, impudenter denique mentiebantur, omnem terrarum orbem Osiridis et Sesostris victoriis quondam peragratam, omnesque gentes ipsorum dictioni subjectas fuisse. Has vero fabulas ita effutiebant, ut nullam neque veritatis neque verisimilitudinis rationem haberent, et inviti proderent, nulla unquam vera et incorrupta annalium monumenta inter ipsos extitisse. Facile quidem erat ventosis atque ad quodvis audendum projectis hominibus, immensam annorum multitudinem nec non fabulosa regum atque regnantium familiarum nomina effingere: longe vero difficilius negotium erat, de quo tamen ignavi isti belluarum ministri nunquam ne cogitarunt quidem, ejusmodi quoque rerum gestarum molem inveniendi, quae tam splendidae gentis antiquitati quodammodo responderet, ne tot annorum millia factis vacua per silentium effluxisse, et ambitiosa imperantium turba semper dormivisse videretur.

Quodsi



Quodsi vero omnia, quae Aegyptiorum sacerdotes de gente sua Graecis hominibus tradiderunt, cum immensa, qua tantopere exultabant; historiarum antiquitate compares; non sine admiratione sive forsau indignatione invenies; omnia fere ad nuda nomina, incertas et fabulis corruptas auditiones, ficta denique miracula redire, et nihil praeterea relinqui, unde suspicari quis posset; Varronem quendam sive excellentem rerum gestarum scriptorem inter Aegyptios inclaruisse. Ignorabant omnium paene artium et vitae commoditatum origines atque inventores; nesciebant Deorum suorum historias, religionumque ortus, progressus et conversiones: ne tempora quidem accurate notaverant; quibus florentissimae urbes conditae, vel portentosae Pyramidum moles extructae fuerant. Quae cum ita se habeant; recte inde concludi posse arbitror, Aegyptios nunquam veros ac fide dignos annales habuisse.

Neque etiam ad alias scientias amplificandas majore cura ac studio sese contulerunt superstitiosae gentis sacerdotes. In Geographia adeo



adeo hallucinabantur, ut universum terrarum orbem in tres partes sive Zonas dividerent, quarum media continuo solis vapore ita ipsis ardere videbatur, ut in nudis ac inhospitalibus illius regionibus nullum humani cultus vestigium inveniri, ob eamque vastitatem tertiam quoque terrarum orbis partem nunquam adiri posse crederent. (Diod. p. 49.) Minus tamen mirandum est, homines istos adeo turpiter errasse, quam eosdem ipsius quam incolebant terrae, ejusque proprietatum adeo incuriosos fuisse, ut ne causas quidem cognitae haberent, quare Nilus certo anni tempore extra ripas suas effunderetur, mox vero aquarum molibus in mare exoneratis placidus iterum intra fines suos relaberetur. (Her. II. 19-35. Diod. I, 44-50. Strabo XVII. 1139. &c.)

Quam exiguos vero in observandis et perscrutandis animantium aliarumque rerum naturis progressus fecerint, non solum ex absurdis fabulis intelligitur, quas Graecis ad omnia stupentibus narrarunt, verum praesertim inde apparet, quod fictam quandam ac fabulosam

avem



avem inter Patrios Deos retulerunt. (II. 73. Herod.) Medicinae porro status vel ex unica lege judicari potest, cujus Aristoteles (III. c. 11. de Civ.) et Diodorus (I. 93.) mentionem fecerunt, cujus vi nulli non medico capitis iudicium subeundum erat, qui cum aegrotantium periculo nova nec antea satis explorata remedia adhibere, vel uti Aristoteles ait, aegrotos ante quartum diem movere ausus esset. In peiori itaque conditione erant hujus artis Professores, quam pictores et statuarii. Licet enim hi quoque prohiberentur, in antiquis corporum formis aliquid mutare, atque a prisco- rum artificum operibus vel minimum discedere, non ultimum tamen supplicium ipsis metuen- dum erat, quod Medicis paulo audacioribus in- stabat, quoties veterum doctorum praecepta re- linquere, et nova quaedam ipsi tentare vellent. In hac igitur disciplina multo magis illud acci- dere debebat, quod Plato de pictura ac arte statuaria testatum reliquit: nihil nempe in ipsis a multis inde saeculis vel emendatum proptereaque vel innovatum esse, recentiorum artificum opera neque pulciora neque perfectiora fuisse



fuisse illis; quae ante aliquot annorum millia elaborata essent. (β. 522. de Leg.) Hinc quoque factum est; ut Aegyptiorum Medici; quos mortis metus a novis inventis ut experimentis deterrebat, famam quam apud externos consecuti erant, quamque aliorum potius ignorantiae quam suis meritis debebant; tam diu tantum retinuerint; quam diu inter Graecos artis hujus nomen vix auditum et ne prima quidem elementa orta essent. Postquam vero Graeci primum Cyrenis; deinde Crotone; aliisque locis ad has res animum adicere coeperant; Aegyptiorum gloria tam subito cecidit; quam antea longe lateque sparsa erat; ipsique a Graecis facile jam tum temporis superati sunt; quum Medicorum observationes nondum in justae artis perpetuis praeceptis ordinatae modum redactae essent. Quam incredibilem vero Aegyptiorum Medicorum ignorantiam fuerit; vel ex unico exemplo apparet, quod apud Herodotum legi potest (III. c. 129.) Darius nempe Histaspis filius torserat forte pedem, atque ingentibus inde cruciatibus afficiebatur. Huic malo omnes quotquot ex Aegypto accersitos secum



secum habebat, Medici non solum impares erant, verum etiam illud imperita aegrae partis tractatione vehementer augebant, donec Democedes quidam Crotona oriundus ad Regem adduceretur. Hic vero non solum cum summa omnium admiratione, mollioribus fomentis dolorum saevitiam statim perdomuit, verum etiam brevi tempore pedis usum Regi reddidit. Ab hac inde aetate, nullam amplius Aegyptiorum medicorum inter externos versantium mentionem factam esse invenio: omnes certe Persarum reges, qui Dario successerunt, Graecorum tantum opera in tuenda ac regenda valetudine sua usi sunt.

Ad mathematicas porro disciplinas quod attinet, non minus exploratum habeo, Aegyptiorum sacerdotes has quoque vix inchoasse, earumque modum sola fere metiendi et ratiocinandi utilitate terminasse. Nimis longe a rerum ordine mihi declinandum foret, si omnia illa documenta, quibus Aegyptiorum in hisce litteris mediocritas declaratur, colligere, vel eas tantum harum artium partes enumerare



vellem, quas Aegyptii prorsus intactas reliquerunt. In solam itaque sideralem Aegyptiorum scientiam paulo accuratius inquiram, quod illam sibi quasi propriam vindicarunt, atque in ea summa gentis suae ingenia maxime laborasse gloriati sunt. Ne quis vero Aegyptiorum merita inique a me aestimari sibi persuadeat; sponte eam ipsis laudem concedam, illos omnium forsitan mortalium primos annum ad solis cursum accommodasse. At vero notum est, hanc temporum descriptionem sine ullis difficilibus et artificiosis ratiocinationibus sola observandi diligentia perfici potuisse. (vide Goguet I Partie Liv III. Ch. 2. p. 221. in 4to.) Ex Herodoti porro testimonio apparet, (II. 4.) Aegyptiorum annum hujus adhuc scriptoris tempore trecentis tantum et sexaginta quinque diebus constitisse, eosque ne tum quidem, quum Graecorum sagacitas annum spatium dudum accuratius definiisset, quarto quovis anno unum diem intercalare solitos esse. Quantum vero illorum observationibus fidei habendum sit, et quid ab illorum ratiocinationibus expectari queat, ex illo imprimis miraculo intelligi potest, quo

gentis



gentis suae suorumque commentariorum antiquitatem probare satagebant. Narrabant igitur (Her. II. 142) intra centum saeculorum spatium solem bis illinc exortum esse, ubi nunc occidat, totiesque, unde nunc oriatur, occidisse, hanc vero coelestium rerum perturbationem nullas prorsus terrestrium rerum perturbationes consecutas esse. — Si quis denique animo secum reputet, Thaletem, Pythagoram, Democritum eorumque discipulos, prima Geometriae et Astrologiae elementa ex Aegypto non advexisse, sed sponte invenisse, eosdemque porro Graecorum philosophorum principes, qui per multos annos inter Aegyptiorum sacerdotes vixerant, atque in intimam eorum familiaritatem admissi dicuntur, incredibilia fere opinionum monstra de coelestium corporum natura protulisse; ille non potest non in eam descendere sententiam, ne sacerdotes quidem Aegyptiorum meliora cognovisse, et quidquid praeceptorum Graecorum doctores in hisce litteris tradiderunt, iustae nondum artis vel disciplinae formam habuisse. Quem vero ne haecenus quidem allata argumenta a falsa ac nimia artium



mathematicarum in Aegypto exultarum aesti-
 matione revocare potuerunt; illum hoc saltem
 credo commovebit, quod inter celebratos istos
 Aegyptiorum sacerdotum discipulos nemo exti-
 terit, qui confusos Graecorum fastos corrigere,
 lunaeque defectuum rationes explicare conatus
 sit. Totius enim antiquitatis consensu Meton
 omnium primus fuisse perhibetur, qui inter
 Graecos anni tempus ad solis curriculum ita or-
 dinavit, ut quivis facile intelligere possit, ni-
 loticas ipsi rationes et disciplinas prorsus inco-
 gnitas fuisse. (vide Weidleri Hist. Astr. p. 98.)
 Hic vero Meton eadem fere tempestate vixit,
 qua omne litterarum genus a Graecis illustrari
 coeptum est; Anaxagoras vero, qui Aegyptum
 nunquam viderat, Periclem aliosque prudentes
 viros mundi conditorem docuit, et inter pluri-
 mas gravissimarum rerum physicas rationes eas
 quoque causas explicavit, quare luna certis
 temporibus deficiat. (vide Plut. in Niciae Vita.)
 Quodsi porro hujus Anaxagorae, Eudoxi, alio-
 rumque clarorum virorum, qui vel ante Alexan-
 drum vel non multo post illum vixerunt, labo-
 res cum illorum meritis comparamus qui Pto-
 lomae.



lōmaeorum liberalitate excitati summo ardore ad rerum coelestium contemplationem atque investigationem se contulerunt; fatendum est, mathematicas artes ab illis quidem non sine gloria inchoatas, ab his vero quodam modo perfectas esse. Horum enim industria altioris Geometriae arcana quasi patefacta, omniumque stellarum, tam vagarum quam inerrantium, motus notati sunt, quum omnes fere, qui ante Hipparchum in haec studia incubuerant, in Solis tantum et Lunae curriculis observandis occupati fuissent. Illud tamen in antiquioribus Graecorum Astronomis magnopere laudandum est, quod animos suos ab Aegyptiorum et Chaldaeorum superstitionibus liberos conservarunt, (Cic. de Div. II. 42.) neque ullus inter ipsos inventus est, qui Berosi aliorumque circulato- rum instar futura ex Astris praedicendi artem professus sit.

Tot igitur luculentis testimoniis et sum-
morum virorum auctoritatibus munitus non du-
bito, tam Diodorum, quo nemo facile inter
Graecos fabularum appetentior fuit, quam



Strabonem, gravem ceteroquin virum, aliosque auctores (quorum testimonia apud Weidlerum. c. 4. inveniuntur) levitatis atque incogitantiae accusare, quod magnificis Aegyptiorum sacerdotum verbis decepti eorundem laudes adeo tantopere celebraverint, iisque in mathematicis disciplinis plus fere tribuerint, quam impudentissimi scientiae suae ostentatores sibi unquam arrogare vix ausi sunt. Omnes isti viri inprimis propterea de Aegyptiorum eruditione adeo perversè judicarunt, quod sibi persuaserant vel persuaderi siverant, quaecumque inventa in Aegypto nata, atque exinde in alias terras profecta essent, ea omnia Aegyptiorum industriae atque ingenijs deberi. Hac igitur falsa opinione in transversum acti gloriosis ac jactantibus Aegyptiorum sacerdotibus multa praeclara inventa, maxime vero accuratam sive ad veritatem proxime accedentem temporum descriptionem vindicarunt, & immortalia summorum gentis suae merita ad miseros praestigiatores transtulerunt, qui ob ingenii stuporem ac tarditatem ne invecas quidem Graecorum litteras capere iisque uti, nedum novis illas observa-

tioni-



tionibus atque inventis augere valebant. Illud satis mirari non possum, ipsum Strabonem, qui Aegyptiorum levitatem atque loquacitatem toties ipse expertus erat, eorum tamen mendaciis adeo abreptum fuisse, ut Platonem, Eudoxum, aliosque, qui post illorum tempora mathematicas disciplinas in immensum auxerunt, omnia sua vel ex Aegyptiorum institutionibus vel ex eorundem libris hausisse ac transcripsisse crederet. Singulare profecto & paene incredibile videtur, tanti ingenii atque doctrinae virum non has sibi ipsum proposuisse quaestiones: quibus tandem causis factum sit, ut neque Thales & Pythagoras, neque Democritus, Plato atque Eudoxus, quibus omnibus Aegyptiorum Sacerdotes arcanas litteras tradidisse dicuntur, maxima ac difficillima inventa in Graeciam transportaverint? quomodo porro acciderit, ut ampla ista domicilia, in quibus venerandi, utilissimarum doctrinarum inventores ac possessores quondam habitasse ferebantur, dudum ab antiquis dominis relicta essent, quum Graeci reges ex omni terrarum orbe doctos homines ingentibus praemiis evocarent, atque adversus



illos in amicorum numero habitos regia liberalitate uterentur? quare denique evenerit, ut nullius magni scriptoris vel inventoris nomen ad ipsius tempora pervenisset, & nemo etiam inveniretur, qui reliquias saltem arcanæ majorum doctrinae conservasset?

Quod vero Aegyptii non solum in fide-
rali scientia, verum etiam in ceteris philosof-
phiae partibus nunquam ultra prima elementa
procefferint, nulla re magis declaratur, quam fero
artium atque disciplinarum in Graecia ortu; &
tardis earum, postquam inventae essent, pro-
gressibus. Jacuit enim omne doctrinae genus
ad quinquagesimam fere Olympiadem, quam-
vis multis ante aetatibus Graeci Asiam incolen-
tes cum Aegyptiorum gente commerciis atque
hospitiis juncti, a regibus praeterea maximis
beneficiis ornati essent, quin etiam certas in
Aegypto sedes collocassent. Nonne cuivis illud
incredibile videri debet, inter omnes istos Grae-
cos, qui per tantum annorum numerum in
Aegypto habitaverant, neminem extitisse, qui
sacerdotum doctrinam eadem ratione, qua Tha-
les



les postea atque Pythagoras illam accepisse traduntur, sibi comparare, atque cum civibus suis communicare ausus esset? Jam vero omnium scriptorum silentium, & clara etiam de posterioribus philosophis testimonia satis probant, Graecos ante septem sapientum tempora Aegyptiorum institutionibus neque in Philosophia neque in aliis scientiis profecisse. Postquam vero longinquis navigationibus atque commerciis Graecorum opes auctae essent: plures quidem orti sunt egregii viri, qui res publicas praeclaris legibus atque institutis temperarent, civiumque suorum animos utilibus praeceptis atque carminibus ad virtutem erudirent: admodum vero pauci, qui ad naturae contemplationem rerumque causas cognoscendas & explicandas sese conferrent. Horum vero antiquissimorum Graeciae physicorum disciplina adeo rudis atque incondita erat, ut nemo dubitare possit, ipsos ab Aegyptiorum sacerdotibus, quorum consuetudine plerique per multos annos usi erant, vel nihil vel admodum pauca didicisse & discere potuisse. Constat porro, Thaletem, Pythagoram atque Democritum de maximis rebus adeo inter se dissensisse, ut sine per-



vicacia negare nemo possit, illos non alienas
 sive ex eodem fonte haustas, sed suas opiniones
 in medium protulisse. Quidquid denique prae-
 clare invenerunt & cogitarunt, omne illud a
 Platone, Aristotele, aliisque fide dignis scri-
 ptoribus, qui rerum Aegyptiacarum certe non
 ignari erant, nunquam Aegyptiorum sacerdoti-
 bus, sed ipsis illis triumviris assignatur. Vehe-
 menter igitur errarunt Aegyptiorum fautores,
 quando opinati sunt, prudentes Graecorum vi-
 ros eam tantum ob causam in Aegyptum pro-
 fectos esse, ut sese in sacerdotum quasi discipli-
 nam traderent, atque naturae & scientiarum
 arcana ab illis expiscarentur. Longe verisimi-
 lius est, Graecos propterea in istas regiones
 commigrasse, ut singulares gentis mores, in-
 stituta, leges, religiones ac sacra cognoscerent,
 quae quidem omnia a nullo hominum genere
 melius quam ab ipsis Deorum ministris accipere
 poterant.

Non tantum vero hoc certum esse videtur,
 eos omnes, qui Philosophiam primi inter Grae-
 eos inchoarunt, nullos decantatae Sacerdotum
 sapi-



sapientiae fructus ex Aegypto reportasse; verum etiam illud negari non posse existimo, Anaxagoram atque Socratem, ante quos nemo de Totius mundi immensitate, ordine, pulchritudine, deque rerum omnium conditoris majestate & virtutibus digne senserat, nunquam Nili ostia, Aegyptiorumque portenta & sacerdotes vidisse, sed proprio Marte sine ulla externa ope ad subtiliorem & elegantiore naturae contemplationem pervenisse *).

Ex omnibus igitur hisce testimoniis atque argumentis illud meo quidem iudicio efficitur, neque Aegyptiorum Sacerdotum sapientiam atque eruditionem tantam fuisse, quantam docti quidam homines eam nobis descripserunt, neque

*) Neque hoc denique taceri debet, Platonem saepius quidem Aegyptiorum fabulas, nunquam vero eorum scientias ne in isto quidem loco memorare, ubi superbe sese jactantem atque Graecorum infantiam prae gentis suae maturitate despicientem sacerdotem induxit. In omnibus porro ipsius scriptis ne levissimum quidem vestigium deprehenditur, unde suspicari quis possit, eum reconditas quasdam, & Graecis hominibus ad illud usque tempus intentatas cognitiones ab Aegyptiorum sacerdotibus accepisse.



neque igitur incredibile esse, nullam veri Dei cognitionem inter illos extitisse. Quodsi enim hanc veritatem possedissent; dubitari non potest, quin eadem longe ante Anaxagorae tempora ad Graecos traducta fuisset.

Ne vero ipsius Hermetis fama, qui scientiarum omnium inter Aegyptios repertor perhibetur, & Hermeticorum librorum auctoritas lectoribus meis scrupulos injiciant: breviter monebo, quod alibi fusius explicavi, *) neque Herodotum, qui Mercurium duobus locis meminit, (II. 51. 158) neque etiam Platonem in Philebo, (II, p. 13. Ed. Serr.) neque etiam Diodorum (I. p. 18. Ed. Wessel.) vel de Hermetis inventis omnem fidem excedentibus vel de ipsius columnis & libris, vel de duobus denique Mercuriis locutos esse. Plato quidem in Phaedro (III. 270.) Hermetem plurium artium inventorem fecerat; notum vero est, magnum Socraticae disciplinae

-alum-

*) Vid. Cap. II. meines Versuchs über die Religionsgeschichte der ältesten Völker, besonders der Aegyptier.



aluminum hunc dialogum valde juvenem scripsisse, antequam res Aegyptiorum ipse inspexerat. Neque igitur dubitavit, ea, quae nimis inconsiderate juvenis effuderat, in Philebo, maturioris aetatis opere, revocare vel potius corrigere. In hoc enim Dialogo nullam artium ab Hermete repertarum mentionem facit, sed litteras tantum ab hoc vel Deo, vel divino homine excogitatas esse ait. Omnium vero fabularum ad nostra usque tempora de Aegyptiorum Hermete creditarum male sanus artifex Manetho fuit, cujus fragmenta apud Syncellum imprimis inveniuntur. (Chron. p. 40 sq.) Hic primus duos Hermetes, juniorisque filium Agathodaemonem finxit; hic porro antiquioris Mercurii columnas, in feriadica quadam regione invenit; hic denique libros, ex istis columnis Graecis quidem vocabulis sed Hieroglyphicis signis transcriptos & nemini antea ne fando quidem auditos, memoravit. Ut vero haec omnia miracula atque portenta taceam; unicum hoc impudentiae monumentum sufficit, ad omnem importuno homini fidem abrogandam, quod nempe in Epistola quadam ad Ptolomaeum Phil. immani
auda-



audacia regi pollicitus est, sese nescio quot res futuras praedicturum, omniaque Naturae arcana aperturum esse. Vix credibile est, primum Aegyptiorum sacerdotem ejusmodi ineptias Regi offerre, simulque rerum gestarum scriptorem agere ausum esse. Licet vero Manetho ultra humanam fidem deliraverit; hujus tamen hominis auctoritas apud multos eosque non indoctos Graecos tantum valuit, ut ipsius mendacia tanquam oracula venerarentur, iisque delusi spurios libros, primo ac sequentibus post Christum natum saeculis Hermeti affictos antiquae Aegyptiorum sapientiae monumenta esse existimarent. Non repetam hoc loco, quae alibi (l. f. c.) de fragmentorum Hermeticorum auctoritate judicavi: Docto vero homini atque in opinionum ac doctrinarum aetatibus & successibus scrutandis mediocriter versato sufficit, ea vel semel inspexisse, ut statim animadvertat, ea pro veris antiqui cujusdam Hermetis operum reliquiis haberi non posse, nisi statuere velimus, non solum Platonem, verum etiam divinum religionis nostrae conditorem ex Hermetis fontibus hausisse.

SECTIO

SECTIO SECUNDA.

Qua Phoenicum de divina natura opinionet explicantur.

Ab Aegyptiis ad Phoenicios progredior, cujus gentis patrocinium quantum ego quidem scio nemo ad nostram usque aetatem suscepit. Tantam enim foedissimorum Deorum multitudinem venerati sunt, tamque immani crudelitate Saturno suo sacra fecerunt, ut his omnibus vel audacissimi homines a defendenda flagitiosi populi pietate deterriti sint. Unus tamen et alter exstiterunt, qui Phoenicum sacerdotes a nefandis vulgi superstitionibus abhorruisse, eosque vim quandam omnium rerum fictricem statuisse crediderunt. (vide Cudworth I. p. 35. et ibi Mosh) Aera enim tenebricosum atque animale sive spirabilem, (*αερα το φωδη και πνευματωνδη,*) quem Sanchuniathon velut omni-



um rerum principium memorat, ita interpretati sunt, quasi Phoenicum sapientes viri sub hoc elemento totius mundi conditorem olim adoraverint.

Hujus vero Sanchuniathonis tanta apud me non est fides atque auctoritas, ut solo ipsius testimonio antiquis Phoenicibus dogmata et sacra vel adscribere, vel denegare audeam. Dudum enim mihi persuasum habui, Sanchuniathonem nil nisi nudum nomen, sive fictam personam esse, quam Philo Byblus totius fabulae ab Eusebio servatae (I. 10. Praep. Ev.) inventor primus in scenam induxerit. Et principio quidem illud docto cuivis viro incredibile videri debebat, Sanchuniathonis nomen atque historiam omnibus Graecis ante Milonis ab ultima inde antiquitate tempora incognitam fuisse, licet alter Populus cum altero Deos ac sacra commutaverit, temporumque successu magna Graecorum turba in Phoenicum urbes commigrarit, ad eorum mores ac leges cognoscendas, postremo vero non minor hominum multitudo vel ex ipsa Phoenicia vel e Phoenicum saltem coloniis

ad



ad discendam Graecorum Philosophiam Athenas profecti sint. Praeterea hoc quoque adversus Philonem Byblum suspicionem excitare poterat, quod tum in enumerandis fontibus, e quibus Sanchuniathon sua hausisse dicitur, tum etiam in explicandis quas ipsi tribuit opinionibus non magis secum ipse, quam cum aliis fide dignioribus scriptoribus consentit. Initio enim narrat, Sanchuniathonem operis sui materiam a sacerdote ignoti cujusdam numinis, quod *Ιεωω* appelletur, accepisse; postea vero testatur, eundem omnia ea, quae litteris consignaverit, vel e sacris Hermetis commentariis, vel ex antiquis in templorum sacrariis reconditis totius gentis annalibus depromsisse. Eadem inconstantia vel Sanchuniathon vel Philo potius Byblus negat, Phoenicios alia unquam numina praeter mortales homines de gente sua immortaliter meritos coluisse; alibi vero idem affirmat, Phoenicum civitates tam mortales quam immortales Deos, quin imo serpentum quaedam genera divinis honoribus affecisse. Neque hoc etiam taceri debet, in falsi Sanchuniathonis fragmento multa urbium, Deorum hominumque



nomina nec non Graecorum commenta memorari, quae multis post Sanchuniathonem saeculis nata sunt, si verum est, quod Philo refert, illum Semiramidis aequalem fuisse. Quis unquam praeter hunc Sanchuniathonem de Phoenicum Hermeter de Deo *Ieuw*, de Phoenicum Israele, de Saturni expeditione, de Coelo ac Terra, mortalibus hominibus, ob praeclara sua merita in Deorum numero collocatis vel unicum verbum protulit? Si quis vero respondet, quod omnes fere Sanchuniathonis defensores fecisse non ignoro, haec aliaque similia loca non a Sanchuniathone profecta, sed nimiae Philonis audaciae tribuenda esse, iste profecto fortitur magis quam iudicat, & hac ipsa sua confessione invitus totius fragmenti auctoritatem infirmat. Quodsi enim Philo tot fabulas in Sanchuniathonis librum inferre audebat: quid ita incredibile est, illum auctoris hujus nomen, totumque ejus commentarium sponte finxisse? Tandem vero absurdum harum nugarum inventoris ingenium nulla re magis ostenditur, quam longa illa hominum enumeratione, quorum quivis artem quandam vel vitae commoditatem reperisse,



riffe, & nomen inde accepisse dicitur. Nulla enim profecto gens unquam exstitit, inter quam artificia ad vitam maxime necessaria tam miro et singulari ordine inventa fuerint, quae porro quemvis de se optime meritum virum a praestantissimis ipsius inventis appellaverit, & haec nomina tam fideli memoria tenuerit, quam inter Phoenicios factum esse Philo nobis persuadere voluit.

His rationibus permotus non dubito, Sanchuniathonis historiam inter fictos & commenticios libros referre, quorum priora post Christum natum saecula non sine ingenti litterarum detrimento nimis felices proventus tulerunt. Causas vero, quare Philonem totam hanc fabulam composuisse probabile est, ipse mihi satis aperte prodidisse videtur. Duplicem enim finem sibi proposuerat; primum, ut omnium, quos ipse noverat, populorum Deos, inventa, & illustres viros genti suae vindicaret, tam vero, ut Stoicos aliosque Graecorum religionum interpretes refelleret, qui omnem fere Graecorum numinum multitudinem in divi-



nas quasdam totius universi virtutes & vires, five caelestia etiam corpora transformare satagebant. Ab hac mea sententia non dimovebunt me Clementis, Eusebii, atque Porphyrii auctoritates, qui virum quendam Sanchuniathonis nomine inter Phoenicios quondam vixisse et gentis suae opiniones et res gestas litteris consignasse opinati sunt. Notum enim est, Triumviros hosce in dijudicandis veterum hominum libris adeo incaute et inconsiderate versatos esse, ut praeter Sanchuniathonis historiam Hermetis quoque et Orphei, nec non Zoroastris & Hoftanis (hic tamen Porphyrius excipiendus est) aliorumque fictos commentarios pro veris & genuinis habuerint. Neque etiam magis mirandum est, credulum & superstitiosum Porphyrium, e Phoenicia oriundum, Sanchuniathonis libro deceptum fuisse, quam innumeros Graecorum doctos viros Orphei, Pythagorae, Democriti aliorumque falsa scripta sibi obtrudi passos esse.

At vero liberaliter agam, nec summo meo jure utar. Non negabo igitur, in Sanchuniathonis fragmento quaedam tantum a Philone



Byblo conficta, caetera vero ex antiquis Sanchuniathonis annalibus descripta esse; et nihilo tamen minus his quoque concessis pluribus semi-barbari hujus fragmenti locis ostendere conabor, Phoenicum Sacerdotes nunquam vim quandam divinam, sensus et mentis compotem, omniumque rerum effectricem statuisse. Quod si enim Sanchuniathonem ipsum apud Eusebium loqui, et omnem fidem mereri credimus, antiqui Phoenices in ea fuerunt opinione, Aera illum tenebricosum sive animale spiritum, qui cum Chao se copulaverat, et Limum (μοτ sive, λου) generaverat, ne suam quidem ipsius progeniem agnovisse *), quae descriptio abunde ostendit, Phoenicum sacerdotes nihil rationi vel consilio simile in hac prima causa cogitasse. Non minus perspicua, atque vel Phoenicum vel scriptoris ignorantiam prodentia verba, illa esse existimo, quibus ex aquosae mixturae putrefactione (ὕδατος μιξεως σηψει) primum animalia omnis sensus expertia sponte nata, ab iis

*) Αυτο ει εκ γενεσης τη αυτη κτιση.



vero alia sensu ac ratione praedita procreata esse dicuntur. Neque ego solus adeo coecus vel infelix sum, ut in rudi hac mundi et animantium ortus descriptione nullum divinae et creatricis naturae vestigium deprehendere queam; ipse quoque Eusebius atque Philo Byblus in explicanda Phoenicum vel Sanchuniathonis Cosmogonia non perspicaciores fuere, tantum abest, ut ejusmodi doctrinas in ea invenerint, quales recentiores quidem interpretes inde eruere conati sunt. Uterque affirmat, (p. 33.) Phoenicios praeter mortales Deos, aliudque mortalium sive immortalium numinum genus, Solem nempe et Lunam caeteraque sidera, praeter quatuor denique naturas, e quibus omnia concreta sint, nulla alia numina coluisse *) Quodsi vero mihi persuadere

*) Προς διαρθρωσαι δε αναγκαιον προς την αυθις σαφηνειαν, και την των κατα μερος διαγνωσιν, οτι οι παλαιοτατοι των βαρβαρων, εξααιρετως δε φοινικες τε και Αιγυπτιοι, θεος νομιζον μεγαυτης της τα προς την βιωτικην χρεια ενροντας, η και κατα τι ευποιησαντες τα εθνη. - - - Φυσικες δε, ηλιον και σεληνην και της λοιπης πλανητας ασερας, και τα σιχεια, και τα τετροις συναφη, θεος μονος εγνωσκει. ωστ' αυτους της μεν θνητης, της δε αθανατης θεος ειναι. Philo ap. Euf. 32. 33 p.



videre possem, in universo hocce fragmento ullam inveniri opinionem, quam Philo e priscis saltem gentis suae erroribus depromserit, ejusmodi sequentem potissimum esse conjicerem: certo quodam tempore e Chao et aëre tenebricoso *ΛΑΥ* sive Limum, ex hoc vero Limo imperfecta animalia nata esse, quae postea alia sensu et ratione instructa procreaverint. Eodem enim vel simili modo non solum multae antiquae gentes, verum etiam vetustissimi Graecorum Theologi et sapientes errarunt.

Si quis omnibus haecenus allatis argumentis nondum victus illud tanquam prorsus incredibile jactare pergeret; eam gentem, cujus artibus tot alii populi mansuefacti et exculi fuerint, verum semper Deum ignorasse; illius pervicaciam in defendenda Phoenicum pietate duobus certe superstitionum exemplis, quae jam adducturus sum, expugnatum iri confido. Primum apud Curtium legitur: Tyrios nempe illo tempore, quum omnibus obsidionis malis fatigati essent, atque non solum de humanis verum etiam de divinis auxiliis desperare inciperent, nocturno viso civium cuidam per quæ-



tem oblato adeo perculosos fuisse, ut Herculæ urbis suæ custodem firmissimis catenis alligarent, ne Deus hicce, quem omnium maxime venerabantur, partes suas deserere, atque proditoris instar ad hostes transire posset. In eodem rerum suarum ancipiti statu in liberos quoque suos sæviissent, et detestandos humanarum victimarum ritus revocassent, nisi tantæ rei atrocitati seniorum ac prudentiorum consiliis obviam itum esset.

Nullò vero alio magis, quam maxime illustri Carthaginensium exemplo ostenditur, quam infirma eorum argumentandi ratio sit, qui in magnis civitatibus, opibus, bellica virtute, et summa in rebus publicis gerendis prudentiâ clarissimos sacerdotes et principes viros iisdem cum plebe superstitionibus obstrictos fuisse negant, eosdemque de divina natura melius ac dignius sensisse summa fiducia defendunt. Quum enim Carthaginenses felici Agathoclis audaciâ in ultimum paene discrimen adducti essent, atque periculosa æque ac turpi obsidione premerentur; tam sæviam calamitatum tempestatem ab ipsis iratis Diis sibi immissam esse putabant,



neque igitur omne suppliciorum genus decre-
viffe, Deorumque imagines et statuas magnifi-
centissimis donis onerasse contenti in saevam
tandem et perniciosissimam rabiem proruperunt.
Summo nempe sibi ipsi crimini dabant, quod po-
sterioribus annis ignobiles tantum et clam coem-
tos pueros Saturno obtulissent, cui antea no-
bilissimum quemque sacrificaverant. Tantum
itaque flagitium non aliter expiari, Deique pax
et gratia impetrari posse ipsis videbatur, quam
si fera licet poenitentia ad antiquas cerimo-
nias reverterentur. Ut igitur religione sese libe-
rarent; ducentos pueros ex maxime illustribus
famiis eligebant, eosque cum trecentis aliis
sponte sese offerentibus, crudeli Deo immola-
bant. Quum igitur universus Carthaginiensium
senatus, qui sine dubio e sapientissimis civitatis
viris constabat, Numinis gratiam non nisi suo
sanguine redimi posse existimaret, quid quaeso
mirum est, si Phoenicum sacrificulos civibus
suis non ita praestitisse putamus, ut soli verita-
tem perspexerint, et excellentissimam mundi
conditoris naturam cognoverint.

SECTIO TERTIA.

De Chaldaeorum Religionibus et Disciplinis.

Post Aegyptios atque Phoenicios vix ullam aliam gentem fuisse existimo, cui adeo invita veritate summum aliquod numen obtrudere conati sint viri docti, quam antiquo Chaldaeorum populo. Plerosque enim splendida Ctesiae mendacia, quae servavit nobis Diodori credulitas, urbium scilicet a Nino atque Semiramide conditarum immensi ambitus, murorum, quibus cincti erant, enormes altitudines, deinde copiarum, quibus isti reges Asiam subegisse dicuntur, infinitus fere numerus, tandem pensilium hortorum miracula, nec non templorum et aurearum atque argentearum statuarum magnificentia, adeo in admirationem rapuerunt, ut inter tot ingentia tamque stupenda opera ipsam sapientiam

tiam



tiã habitasse facile sibi persuaderent. Summa itaque aviditate arripuerunt omnia vel vera vel suspecta et inter se pugnancia testimonia, quae ad Chaldaeorum gloriam extollendam quodammodo facere videbantur, et quidquid unus vel alter scriptor praeceptorum artis criticae vel ignarus vel contemtor effutierat, illud omne sequentium admiratorum turba tanquam e tripode dictum, nullo prorsus iudicio adhibito, et ne ipsis quidem auctorum locis inspectis, ad taedium usque repetiit. Horum hominum impetum non morabatur sancti et antiquissimi scriptoris auctoritas, testantis, Abrahamum propterea e Chaldaeorum finibus a majorum suorum Deo evocatum esse, ne foedis gentis huius erroribus et superstitionibus inquinaretur: non revocabat illos praeceptorum Graeciae scriptorum silentium, qui de divina quadam et excellentissima natura a Chaldaeorum Magis culta ne verbum quidem protulerunt; non movebant denique illos Herodoti, Arriani, aliorumque testimonia, quibus declaratur, Chaldaeorum sacerdotes omnium hominum impurissimos et flagitiosissimos fuisse, quippe qui superstitiosa civitate
sua



suorum credulitate ad avaritiam et libidines suas explendas abutentes non virorum tantum patientiae et mulierum castitati illuserint, verum ipsos quoque Deos suos eorumque templa expilaverint. His omnibus auctoritatibus vel spretis vel neglectis Chaldaeorum patroni ad recentiores quosdam scriptores sese applicuerunt, qui vel puerilis credulitatis, vel pravae etiam fingendi cupiditatis convicti suas aliorumve nugas ac fabulas litteris mandarunt, omnesque multis post eam actatem saeculis vixerunt, qua Chaldaeorum populus et ipsum paene nomen deletum erat. Ne horum vero quidem loca atque fragmenta ita interpretati sunt, uti singularum vocum vis et totius orationis contextus postulabat, verum potius haec vel illa verba tam diu torserunt, atque vexarunt, donec iste sensus, quem ipsi eruere volebant, exprimeretur.

Primus igitur, quem in scenam inducere solent, Berofus est, qui Alexandri temporibus vixisse, atque Astrologiae arte, quam in Hippocratis patria docuit, summam gloriam et honorificas statuas meruisse dicitur. (vide in p. Sync. 14. 18. Ed. Goar.) Ex hujus circulatoris



χαιδικοις multas reliquias servarunt nobis idem Syncellus, (l. 6.) Josephus (contra Ap. I. c. 16.) atque Eusebius, (Praep. Ev. IX. 14-17. 27. 40-42.) Quanquam vero hic scriptor tanquam omnium testium, qui pro Chaldaeorum pietate et sapientia pugnare existimantur, dux quasi et Choriphaeus appelletur; nullus tamen dubito, Chaldaei hujus sectatores longe aliter de superstitioso pariter et fraudulento homine judicaturos fuisse, si non pauca ejus verba, ab aliis forsan adducta, sed omnia quae fortuna nobis non invidit fragmenta attento oculo perlegissent. Quicumque vero hunc laborem non reformidat, ille non potest non animadvertere, quod ipse Syncellus (p. 14. 29.) nec non Josephus atque Eusebius viderunt, Berosum libri istius, quem impudenter Gentis suae historiam inscripserat, maximam partem e sacris Israelitarum Legumlatoris commentariis desumpsisse, eaque quae inde hauserat, non uno modo corrupisse. Quam verum hoc judicium sit, ex illis imprimis locis intelligitur, quibus non Chaos tantum omniumque rerum confusionem, verum etiam terrarum omnium inundationem, servati porro
Noa-



Noachi miraculum, Babylonicae turris exstructionem, et Abrahami denique res gestas iisdem fere verbis exposuit, quibus haec omnia apud Mosem narrantur. Haec vero spolia Mofi destructa cum populorum suorum prodigiis, suis ipsius fictionibus, nec non Graecorum fabulis, in quibus mutilata numina et homines ex eorum sanguine orti celebrabantur, adeo inepte coagmentavit, ut neque prima extremis neque utraque mediis respondeant. Non tamen inveniendis suis quam in ornandis alienis nugis felicior fuit. Pari enim audacia atque ingenii imbecillitate affirmare ausus est, Chaldaeos tanta antiquitate esse, ut eorum scriptores plus quam centum et quinquaginta millium annorum res gestas annalium monumentis comprehenderint.

Quam parum vero fidei huic fabularum architecto habendum sit, ex ipsius inprimis narratione apparet, qua antiquissimum gentis suae statum describit, quaque nihil insulsius et magis secum pugnans fingi potest. Narrat enim, primos Assyriae incolas initio quidem
 fera-



ferarum modo vixisse, eosdem tamen primo statim ab origine sua anno a monstro quodam Oannis nomine, quod oriente sole terram petere, occidente vero in undas reverti solitum sit, omnes artes atque scientias edoctos, atque ad vere humanam et cultiorem vitam eruditos fuisse. Testatur porro, hoc monstrum tanta doctrina atque inveniendi solertia fuisse, ut non solum praeclarum de republica librum majoribus suis tradiderit, verum etiam ceteris meritis ac beneficiis suis sequentium aetatum hominibus omnem novorum inventorum materiam praeriperit. Post hoc admirandum monstrum alia portentosa animantium genera enumerat, et tanta quidem multitudine, ut in fingendis monstris mirum sibi placuisse videatur. Inter haec vero homines duplicibus membris instructi, atque Hippocentauri propterea maxime memorabiles sunt, quod illos e Platonis Phaedro, hos vero e Graecorum fabulis surripuit. Pergit porro Berofus narrare, his omnibus monstris feminam quandam Hamoroca nomine imperasse, quam vel mare vel lunam fuisse conjicit, quamque Belus mediam dissecuerit, ut ex
ipsum



ipsius partibus terram ac coelum efficere posset. His vero operibus editis eundem Deum, quem plerique per Jovem interpretentur, sibi ipsum caput amputasse, quod ex suo divino sanguine hominum genus procreare vellet, atque tum demum dispersis tenebris coelum ac terram divisisse atque universum mundum ordine composuisse *). Postquam vero Jupiter Belus animadverterit, fertiles quasdam regiones nondum tantam incolarum multitudinem habere, quantum capere possent; illum denique (ita fabulam concludit Berofus) alium quendam Deum coegisse, sibi ipsum manus violentas inferre, ut ex ipsius sanguine in terram fato hominum numerus duplicaretur, et alia quoque animantium genera existerent.

His perlectis quivis Beroso non prorsus similis mecum fatebitur, totam hanc narrationem nil nisi bellum et pugnam esse, neque
Belum

*) Τον δε βηλον, ου Δια μεθερκενευησι, μεσον τεμνοντα το σκοτος χωρισαι γην και υρανοσ επ' αλληλων, και διαταξαι τον κοσμον.



Belum magis quam Berosum se ipsum jugulasse. Quamvis enim dixerat, Monstrum Oannis nomine primos homines artes atque litteras docuisse atque oriente sole in terra, occidente vero in oceano commoratum esse; non veritus tamen est, paulo post Belum tanquam solis et hominum genitorem inducere. Idem porro Belus initio monstrorum reginam, et mox se ipse interfecisse, et nihilo tamen minus mundum postea ordinasse, aliumque Deum ad mortem adegisse dicitur. Sed piget delirantis hominis ineptias repetere, quae vel semel lectae taedii fati adferunt.

Facile tamen concedo, Berosi repugnantias in ipsius libro non ita, uti apud Syncellum, alias super alias cumulatatas atque tam prope se invicem secutas esse, verum potius intervallis quibusdam a se invicem distinctas fuisse. Valde etiam credibile est, Berosum propterea inprimis in has salebras incidisse, quod mosaicam sapientiam cum gentis suae et Graecorum somnii, nec non ingenii sui figmentis copulare vellet. Non improbabilis denique conjectura est,



barbaros atque indoctos Chaldaeos ad Berofi usque aetatem in ea fuisse opinione: initio quidem imperfecta tantum sive portentosa animalia extitisse, quibus numen aliquod imperaverit: postea vero casu quodam vel etiam divino Beli sanguine sparso perfecta animalia et ipsum quoque hominum genus generata esse, quod aliud postremo divinum monstrum ad meliorem vitam variasque artes crudiverit. His enim similia commenta inter plurimas alias gentes, praesertim inter Indos atque Sinenses inveniuntur. Dum vero Berofus has fabulas populares retinere, simul vero praecipua veri Dei opera, quae Moses praedicaverat, in Belum suum transferre vellet, huncque in coelestium corporum auctorem mutare conaretur; tunc pueriles istas repugnantias effugere non poterat, quae ipsius incogitantiam non minus quam furta produnt. Si quis vero illud argumentum premere vellet, Chaldaeos antiquis forsitan temporibus eadem de Belo sensisse, quae Moses de gentis suae Jehova tradidit; ille quaeso cogitet, tum neque Berofum neque Chaldaeos Beli aliorumque Deorum mortes somniare, neque etiam



etiam universam gentem de spurco hoc et salaci Deo tanta flagitia credere eundemque tam pudendo cultu prosequi potuisse, qualem Herodotus narrat *).

Nihil igitur me temere facturum esse arbitror, si ex manifestis Berosi furtis, e crebris ipsius repugnantis, e Beli denique aliorumque numinum caedibus concludo, ventosum Astrologiae doctorem virtutes divinas ab Israelitarum Deo ad gentis suae numen transtulisse, et ipsam Berosi narrationem omnium firmissimum argumentum esse, nullam unquam sanam de Deo doctrinam, neque etiam ita antiquam, qualem iste jactat, Historiam inter Chaldaeos inventam esse.

A Berosi portentis jam ad Diodori narrationem transeo. Hic itaque scriptor tradit, (II.

F 2

143.

*) Ego dudum mihi persuasum habui, omnes, quas Berossus de Belo narrat, fabulas tum demum inventas esse, quum Chaldaei Belum a sole, a quo antiquitus diversus non erat, distinguere, eumque humana figura induere coeperunt.



143 etc.) e Chaldaeorum sententia mundum univer-
 sum neque ortum unquam neque interitum esse.
 Addit porro: τὴν δὲ τῶν ὅλων τάξιν τε καὶ
 διακοσμησὶν θεία τινὶ προνοία γεγονεαί, καὶ
 νῦν ἕκαστον τῶν ἐν ἔρανω γινόμενων, ἔχῳς
 ἐτύχεν, ἢ αὐτομάτως, ἀλλ' ὠρίσμενη
 τινὶ καὶ βεβαίως κεκυρωμένη θεῶν κρίσει
 συντελεῖσθαι. Ex hoc Diodori loco siue ex
 singulis ipsius potius parum intellectis verbis
 omnes, qui in Chaldaeorum doctrina et religio-
 nibus perscrutandis versati sunt, numen aliquod
 exsculperunt, cujus vi rerum universitatem
 non solum conditam esse, verum etiam admini-
 strari Chaldaeorum sacerdotes quondam cre-
 diderint.

Si quem vero non piget, universum Dio-
 dori testimonium eaque, quae sequuntur, per-
 legere (quod neminem eorum, quibuscum mihi
 res est, fecisse arbitror): illum sane confido ni-
 hil magis miraturum esse, quam viros doctos
 adeo incredibili celeritate hunc locum percuc-
 currisse, ut optimas doctrinas ibi reperirent,
 ubi



ubi Diodorum totius Chaldaeorum superstitionis quasi fundum indicare voluisse manifestum est. Hic enim auctor in citato loco ne verbum quidem de uno, eoque summo omnium rerum auctore ac rectore profert, verum potius rationem reddere studet, quare Chaldaei sibi aliisque persuaserint, ex astrorum ordinibus atque trajectionibus res futuras praedici posse. Affirmat igitur, mundum Chaldaeis aeternum videri, eosdemque statuere, coeli ornatum, corporumque coelestium ordinem non temere vel casu, sed divina quadam solertia (non vero unius summi cuiusdam numinis providentia) effectum esse, et certis quoque ac ratis Deorum legibus semper conservari. (*ὠρισμένη τῆνι καὶ βεβαίως κεκρυώμενη θεῶν κρείσει.*) In ea nimirum opinione erant Chaldaeorum Magi, omnia sidera, quae pro sanctissimis numinibus colebant, non externa quadam vi, sed suis et propriis motibus agitari, eademque divino quasi consilio habito illa loca occupasse, eosque orbis conficere, quos unicuique maxime convenire iudicaverint. Statim itaque addit Diodorus, ex



Chaldaeorum mente errantes quinque stellas omnium maxime memorabiles esse, et idcirco interpretes appellari. Paucis vero interjectis triginta sidera enumerat, a Chaldaeis consulentia numina (*Θεοὶ Βελαίης*) nominata, inter quae tamen duodecim praesertim emineant, quibus Deorum principum titulum indiderint. Tantum igitur abest, ut Chaldaei excellentissimam quandam naturam cognoverint, ut ne unum quidem ex rotundis suis ac volubilibus Diis summum in res humanas imperium per totum annum detulerint.

Ultimo tandem loco ad oraculum quoddam provocant Chaldaeorum defensores, quod antiquis temporibus ab ipso Delphico Apolline editum esse existimant, quodque ab Eusebio et Porphyrii quodam libro ita adducitur (IX. 10. Praep. Evang.)

μῆνοι χαλδαῖοι σοφίαν λαχόν ἠδ' αἰ
ἔβραιοι

αὐτὸ γενέθλον ἀνακτὰ σεβασόμενοι
θεὸν ἀγνώως.



Omnes, qui versus hosce citarunt, ita illos interpretantur, ut non possim non suspicari, eos neque ipsum Eusebii locum inspexisse, neque ea, quae praecedunt, attento oculo perlustrasse. Hoc enim si fecissent, fieri non potuisset, quin alios ejusdem auctoris versus invenissent, quibus vera Dei sive potius Deorum cognitio non solum Hebraeis atque Chaldaeis, verum etiam Aegyptiis, Phoenicibus, atque Lydis tribuitur. Plumbeum vero et nullo ingenio illum esse oporteret, qui omnes haec gentes unius Dei notitiam habuisse, vel carmen hocce ex Apollinis adytis Pythiaeque ore profectum esse sibi persuadere posset. Cui enim quaeso illud probabile videbitur, Apollinem vel tum quoque, quum senectute confectus delirare et quasi repuerascere inciperet, adeo insaniisse, ut solas barbaras gentes, quarum plerisque suum ipsius numen prorsus inauditum erat, recte de Deorum natura sensisse, Graecos vero, qui infinitis donis et opibus magnifica ipsius templa instruxerant, turpiter errare judicaret? Statuendum igitur est, haec oracula ab indocto quodam homine iis temporibus ficta



esse, quum Graeci pariter ac Romani patrios Deos spernentes ad peregrina numina eorumque sacra furore quodam agerentur, et summae pietatis indicium esse putarent, si quis ignobiles quosvis Deos Deasque, quas ultima haecenus Barbaria aluerat, superstitione mente veneraretur.

Tandem vero Chaldaeorum sacerdotum ea conditio erat, ut nihil magnum vel excelsum a turpissimis hominibus expectari possit. Omnis quippe eorum cura in corrumpendis civium suorum moribus, et in nutriendis populi atque regum superstitionibus collocata erat. Aegyptiorum porro veteratorum instar adeo prava libidine atque aemulatione stimulabantur, ut quivis multitudinis et imperantium favorem caeteris praeripere atque vanarum artium praemia ad se trahere omnibus viribus contenderet. Scindebantur itaque, si Plinio VI. 26. (quem locum valde corruptum esse conjicio) et Straboni fides habenda est, in plures sectas, quarum quacvis suas imprimis nugas venditabat, iisque auctoritatem et fidem conciliare annitebatur. De omnibus



bus vero recte dici posse existimo, illos civium suorum animos eorumque morbos diligentius, quam coeli motus atque naturam observasse atque scrutatos esse. Quamvis enim teste Diodoro (II. 144 p.) gloriarentur, nullam ferem neque in coelo neque in terra inveniri, e qua ipsi non certa rerum futurarum indicia elicere possint, et ipse quoque Diodorus quavis anu supersticiosior non sine admiratione narret, Chaldaeos multis regibus, inprimis vero Alexandro, Antiocho atque Seleuco tam singulari arte futura praedixisse, ut non sine divina ope illud factum esse creditum sit; negari tamen non potest, eosdem in praevidendis Lunae ac Solis defectibus eo minus valuisse. Idem enim Auctor testatur, Chaldaeos tale aliquid ne tentasse quidem, in definienda vero lunae natura adeo a veritate aberasse, ut illam cavam et scaphae similem esse dicerent. Non saniora erant, quae Berofus de eodem sidere somniasse dicitur. (Vitruv. IX. 4.) Hic nimirum statuebat, Lunam pilam esse, dimidia parte candentem, altera vere caeruleo colore illitam. In notandis denique coelestium corporum mutationibus, quibus



vix sufficiebant, adeo negligentes fuerunt Chaldaeorum sacerdotes, ut eos per plurimum saeculorum spatium paucas tantum Solis et Lunae defectiones annalium monumentis consignasse extra omnem dubitationem positum sit (vide Weidleri Hist. Astr. p 30.)

Ab hac Chaldaicarum superstitionum expositione ipse quasi rerum ordo orationem meam ad Persarum religionem et Zoroastris disciplinam deduceret, neque igitur utramque illustrare recusarem, nisi omnia, quae huc pertinent, veterum loca alibi quanta potui diligentia et fide collegissem et dijudicissem. Quicumque igitur sententiam meam de hisce rebus cognoscere cupiunt, ii legant velim tres illas commentationes, quae inter cetera regiae societatis scientiarum scripta vulgatae sunt, quasque quarta denique et ultima proximo anno secutura est. Omisissis igitur in praesenti Persarum de divina natura opinionibus ad inclytam Indorum gentem eorumque Brachmanas transeo, quorum sapientia prisca et recentiori aetate multorum hominum laudibus concelebrata est.

SECTIO QUARTA.

De Indorum religionibus et Brachmanum disciplinis.

Vetustissimorum Indiae incolarum historiam atque religiones summa doctorum hominum attentione dignas esse puto. Quamvis enim Indi, mite et maximam partem imbelles hominum genus, nunquam fere fines suos egressi, neque victoriis etiam, atque rapinis, vel urbium denique et populorum extinctionibus magnam unquam famam consecuti sint; propterea tamen valde memorabiles esse videntur, quod omnibus paene Asiae populis, septentrionem atque orientem solem spectantibus, numina sua et sacra tradiderunt, eorumque non paucos litteris suis doctiores atque humaniores effecerunt *).

Dolen-

*) Saepius miratus sum, Indorum mores, doctrinam et religiones Orientem tantum versus sese effudisse, nunquam vero per occidentales Asiae plagas dimanasse.



Dolendum vero est, ejusdem gentis historiam atque religionum origines tam crassis tenebris circumfusam esse, ut vix ulla spes supersit, illas unquam penitus dispulsum iri. Quotquot enim antiquis et recentioribus temporibus Indorum religiones et disciplinas descripserunt, illi in universum omnes inter se pugnant, nec raro adeo incredibilès fabulas narrant, ut paulo cautior incertus haereat necesse sit, qui potissimum scriptores quaeve auditiones ipsi sequendae, an vero omnes rejiciendae sint. Nisi igitur turpi temeritate quidvis accipere velis, vel animum quoque tuum praejudicatae cuidam opinioni constringendum dederis; fatendum est, haecenus non solum nesciri, quae antiquiorum Indorum de divina natura opiniones fuerint, verum etiam quid nostra aetate gentis hujus sacerdotes de rebus divinis sentiant. Ante omnia igitur auctorum, qui Indorum et Brachmanum religiones literis mandarunt, fides atque auctoritas exploranda est, priusquam certi aliquid statuere atque affirmare possimus.



Quodsi igitur Ctesiae portenta *) et pauca ab Herodoto allata excipias, (III. 98.) quae hunc nimis credulum fabularum captatorem Persarum narrationibus debere verisimile est; omnes Indiae regiones Graecis ante Alexandri victorias adeo incognitae fuerunt, ut ipse doctissimus Macedonum rex inter summa Graecorum ingenia quotidie versans Indum fluvium pro Aegyptiorum Nili parte vel brachio habuerit, atque ex ejusdem ostiis ad Aethiopiae oras perveniri posse opinatus sit.

Inter eruditos vero Alexandri comites plures exstiterunt, qui novi orbis ab Alexandro quasi reclusi miracula cives suos diutius celare nefas duxerunt, eorumque igitur descriptionem non sine aemulatione aggressi sunt. Inter hos auctores Nearchus inprimis et Onesicritus eminent, quorum integri quidem libri nescio bona dicam an invida fortuna nobis erepti, non exiguae tamen reliquiae a Strabone atque Arriano servatae sunt. Omnes vero isti viri, et
quot-

*) Vide Ctesiae Indica c. 6. 8. 10. 12. 18. 20. 23. 30.



quotquot post illorum aetatem Indiam descripserunt, in eo consensisse videntur, ut insul-
 sissimis figmentis et turpissimis mendaciis famam
 suam et Historiae fidem corrumperent. Onesicritum igitur *ὁκ Ἀλεξάνδρου μάλλον ἢ τῶν
 παραδοξῶν κυβερνητῆν* nominandum esse ju-
 dicavit gravissimus auctor Strabo (p. 698. Ed.
 1620). Hic falsus Diogenis discipulus equos cor-
 nibus et cervinis capitibus ornatos, homines
 porro ultra tres vel quinque spithamas non
 exsurgentes atque cum gruum exercitibus
 dimicantes, alios vero ore et naso caren-
 tes, quibus fructuum atque florum odores
 pro victu essent, summa impudentia jactavit,
 imò Indorum populis gentis suae Deos atque
 fabulas affinxit. (Strab p. 710. II. 14.) Non
 verecundiores fuerunt Nearchus atque Mega-
 sthenes, quem Seleuci Nicatoris ad Indorum
 regulos legatum fuisse constat. Uterque enim
 monstrosas tigrides et enormes formicas, quae
 terram foderent, et corporis mole vulpes longe
 superarent, vel sponte finxerunt vel Herodoto
 etiam surripuerunt. (vide Strab. 703. et Arr.
 Ind. c. 15.) Horum vero alter, Megasthenes,
 cete-



ceteros omnes mentiendi impudentia, atque mala quaevis miracula corrumpendi libidine vicisse videtur. Huic enim fabulas de Herculis et Bacchi in Indiam expeditionibus, de Nyfa urbe a libero Patre condita, de comitum ejus posteris Dei beneficia jaçantibus, de inventa rupe illa, cui Prometheus affixus fuerat, incredibilem denique regum a Baccho descendantium seriem debemus. (Strabo, p. 687. 703. 712. Arrian. Exped. Alex. IV. 10. 28. V. 2. 3. 5. Indic. 7. 8. 9.) Haec tanta tamque insignia mendacia Straboni severum quidem, sed justum judicium exprefferunt, (p. 685. 704) inter omnes Alexandri comites neminem inveniri, quem quis cum aliqua fiducia sequi possit.

Quae cum ita se habeant; illam quasi regulam constituendam esse existimo, neque Onesicritum, neque Nearchum, neque etiam Megasthenem audiendos esse, quando monstra atque miracula effutiunt, vel Alexandri laudes pleno ore canere, vel ea denique tradere incipiunt, quae Indis, eorumque Gymnosophistis et regibus gloriosa sunt. Vani enim homines popula-
ribus



ribus suis persuadere volebant, ingentem Indorum feraciam post Herculem et Bacchum sola invicta Alexandri et Macedonum virtute perdomitam, Gymnosophistarum vero sapientiam et miracula sibi ipsis inter paucos cognita fuisse. Eorundem contra scriptorum auctoritas non prorsus contemnenda mihi videtur, quando propositi sui interdum immemores ea tradunt, quae cum splendidis istis mendaciis pugnant, quae ipsis sui oblitis magis excidisse, quam de industria ficta esse probabile est. Hoc itaque si fixum atque ratum tenemus: excidenda primum sunt quinque illa urbium millia, quae inter Hydaspem atque Hypanen sitae, quarumque nulla Coe urbi magnitudine et incolarum numero inferior fuisse dicitur. (Strabo 686. 701. p. Arrian. VI. 2.) Irridendi praeterea Pori exercitus, et incredibilis Barbari regis animi magnitudo, explodenda quoque Serum vivacium Spartana paene Institutio, (Str. 701.) rejicienda denique Gymnosophistarum singularis atque ex omnibus inter se pugnantibus Graecorum Philosophorum disciplinis collecta sapientia. Audiendi vero sunt Megasthenes atque Onesicri-

tus,



tus, testantes, Indos parcissimo et tenuissimo victu, Oryza nempe, contentos fuisse, nullum inter ipsos aurum, nullam vestium atque ornatu magnificentiam inventam esse, (Arr. V. 4. et Ind. c. 16.) ne litteras quidem ipsos neque scriptas leges cognitatas habuisse, (Strab. p. 709.) levem porro eorum armaturam, eosque propterea stabili pugnae non adsuetos fuisse *), longas denique naves, quibus equi impositi erant, omnibus fluviorum accolis tanquam novum prorsus et nunquam antea visum spectaculum summam admirationem iniecisse. (Arrian. VI. 3.) **).

Meo quidem iudicio nulla ne cogitari quidem potest probabilis ratio, quare haec aliaque

*) Ind. Arr. c. 16. Idem quoque Herodoti narratione confirmatur. VII. 65.

***) Idem scriptores notabili incogitantia se ipsi jugulant, dum septentrionalium regionum fertilitate celebrata ceteras Indiae terras meridiem versus sitas tanquam incultas, atque a belluis magis quam hominibus occupatas describunt, simulque adjiciunt, universam Indiam inter centum et duodeviginti populos divisam esse, quorum plurimi omnis humanitatis expertes sint. (vide Arrian. Ind. c. 7. et 24-29.)



que ipsis similia ad deprimentas Indiae gentes a Megasthene atque Onesicrito ficta fuerint, quum eae illorum narrationum partes, quibus Indorum, et Alexandri, eorum victoris, famam quovis modo extulerunt, praemeditatam fraudem multo apertius prodant, quod jam Graecorum prudentissimi viri, Eratosthenes atque Strabo, quondam intellexerunt (Strabo p. 687. et Arrian. V. 3). Statuendum itaque est, illos fabularum architectos non semper sibi constituisse, neque etiam memoria adeo valuisse, quin saepius fraudes ipsi suas detegerent atque nviti vel inscii veritatem patefacerent *).

Non negaverim quidem, quod Megasthenes apud Strabonem narrat, (p. 712. 713.) duo hominum

*) Ciceronis iudicium, qui Indiam omni barbarie vastiorem et agrestiore esse pronuntiat T. Quaest. V. 27. II. 22; confirmatur non solum ceteris verisimilioribus Alexandri comitum testimoniis, verum etiam narratione illa: Alexandrum novam classem aedificasse, postquam Indiae flumina, ipsumque Oceanum navigandi consilium cepisset. Nullis scilicet navibus instructi erant Indorum reguli & gentes, quas ne extra fines quidem suos commercia exercuisse omnes fere citati auctores affirmant.



minum genera in India extitisse, qui partim incantamentis et praedictionibus, partim vero voluntariis et sponte susceptis laboribus atque molestiis tam populi quam regum venerationem meruerint. Nunquam vero mihi persuadere patiar, nudos Indiae sapientes discipulis suis sequentia dogmata tradidisse: nullam rem neque per se malam neque etiam bonam esse; univ-ersum porro mundum a divina quidem mente procreatum, neque tamen in aeternum duraturum esse; ceterarum denique rerum alias causas, conditi vero mundi principium aquam esse, praeter quatuor vero elementa, quintam quamdam naturam statui oportere, e qua coelum et astra effecta sint. Hanc Brachmanum Philosophiae expositionem ita concludit Megasthenes, ut eorum opiniones de animae immortalitate, ejusque post mortem fati cum Platonis fabulis optime convenire affirmet. Nisi vero Nearchus atque Onesicritus, cujus testimonia de Brachmanibus (p. 715-17.) a Strabone adducuntur, omnes hasce Indorum sacerdotum doctrinas prorsus tacuissent; ipsius tamen Megasthenis stultitia argumentorum fati suppeditat, quibus



ipse mendacii convinci potest. Dum enim Indorum Brachmanas summorum gentis suae virorum sapientia ornare vellet; dissimilium et inter se pugnantium opinionum farraginem adeo inconsiderate ipsis commodavit, ut cuivis facile appareat, ejusmodi sententias neque ab uno unquam homine, neque etiam ab uno hominum genere defendi potuisse. Quomodo enim omnium rerum aliae ἀρχαί, aqua vero mundi causa appellari poterat, quem ex Indorum mente a Deo non solum effectum esse, verum etiam gubernari ipse Megasthenes fatebatur? Quomodo porro iidem viri, qui totum mundum ex humido quodam elemento exaedificabant, quintum quoddam corpus fingere poterant, e quo coelum et sidera, tanquam a mundo profus diversa, generata et conflata essent *)? In

ejus-

*) Incredibiles hae repugnantiae imprimis in causa sunt, quare conjecturae, in quam forsitan non pauci lectorum meorum incidere, assentiri non possim: omnia illa placita, quae Megasthenes Indis tribuat, viri hujus aetate revera inter sacerdotum ordinem inventa esse, quippe quae vel ipsi vel ipsorum patres a Graecis, Alexandri comitibus, acceperint.



ejusmodi repugnantias non poterat non incidere Megasthenes, quum sine ullo ingenio omnes Graecorum disciplinas exspoliaret, ad Indorum ruditatem obtegendam. Nemo enim non videt, Megasthenem opinionem de aqua, rerum omnium causa, a Thalete, dogmata vero de bonorum ac malorum natura, de Mundi ortu atque interitu, de divina quadam mente per hocce universum intenta e Porticu, quintam porro Naturam e Lyceo, et fabulas denique de animarum post mortem statu e Platonis Academia petiisse. Quum igitur Brachmanum philosophia, uti Megasthenes illam descripsit, neque secum ipsa, neque cum Nearchi et Onesicriti narrationibus, neque cum Indorum satis testata barbarie conveniat; dubitari non potest, eandem, sicuti multa alia, ab hoc mendaci scriptore fictam esse.

Non vereor autem, ne quis mihi harum rerum mediocriter intelligens Philostrati fabulas objiciat, quibus Indorum Brachmanas ultra humanam sortem attolli satis notum est. (III. 13. de Vita Apoll. etc.) Sive enim haec portenta



ab Apollonio ipſo, five a Damide, five etiam a Philoſtrato ficta eſſe credimus; illud certe nullam dubitationem habet, eorum inventorem tam Apollonium ipſum quam Gymnoſophiſtarum principem, Jarcham, in novum quendam Pythagoram transformare voluiſſe. Quidquid enim male ſani Pythagorae vitae ſcriptores, Hermippus praefertim et Heraclides Ponticus, de Samio philoſopho finxerant; illud ſine omni iudicio in Jarcham ceterosque Gymnoſophiſtas translatum videmus. Verbum igitur *αυτος* five *εκεινος*, quo Pythagoram a diſcipulis ſuis venerationis cauſa appellatum eſſe traditur, Pythagoreorum porro vitae ratio, ſilentium, nec non medicae et magicae artes, denique fabuloſae, quas Pythagorae animum ſubiſſe fama erat, migrationes eodem modo Brachmanibus a Philoſtrato tribuuntur, ut haec omnia de Pythagora ejuſque auditoribus olim credita fuerunt. Nihil itaque mirum eſt, ſi is, qui haec omnia fingere auſus eſt, Indorum ſacerdotibus eandem de divina natura opinionem adſcripſit, quam a Pythagora quondam deſenſam eſſe ipſe ſibi perſuaderat. Qua vero Philoſtratus ſtultitia in Gymnoſophi-



gnosophilas multas ineptias tanquam summae sapientiae arcana accumulavit, in quas Pythagoreos nunquam incidisse facile probari potest; eadem ignorantia doctrinam quoque ipsis de Deorum origine atque natura commodavit, quam non solum a Pythagoreorum placitis toto coelo distare, verum etiam nulli alii Graecorum Philosopho, multo minus ipsis Gymnosophilis in mentem venisse fidenter affirmari potest. Quod si enim Philostratum vel quem ipse secutus est, audire volumus; statuerunt Indorum Philosophi, hunc mundum ex quatuor elementis et quinta quadam natura constare, quam Aethera atque omnium rerum parentem appellarunt: eundem porro mundum sensu praeditum, et utriusque sexus participem sui ipsius amore flagrasse et vi quadam insita se ipsum generasse. (III. 34.) Postquam vero Philostratus haec opinionum monstra e pluribus inter se dissidentium philosophorum placitis collecta protulisset; non puduit insulsum scriptorem, de Deo quodam mundi auctore garrere, licet paulo ante rerum universitatem se ipsam procreasse dixisset.



Cetera recentiorum tam Graecorum quam Romanorum scriptorum *) de Gymnosophistis testimonia eo redeunt; extitisse quondam inter Indiae populos duo hominum genera, a caeteris harum regionum incolis vitae ratione et morum sanctitate valde diversa, quippe qui ab omni societate procul remoti in vastis solitudinibus degerint, seque in omni virtutum genere, praesertim in laborum et molestiarum patientia exercuerint. Eisdem praeterea vel Dei cuiusdam reliquias, vel Panem et Herculem, vel etiam Gangem continuis fere laudibus celebrasse, atque Coralio denique tanquam religioso gestamine usos esse, quo morbos aliaque mala efficacissime dispelli posse existimaverint. Inter omnes vero quos nominavi scriptores, nemo est, qui Indorum Gymnosophistis Graecorum doctrinas, nedum unius veri Dei notionem tribuerit (**).

Ante-

*) Plinii nempe, Plutarchi, Apuleji, Clementis Alexandrini atque Porphyrii.

***) Tantum abest, ut Plinius, Strabo, atque Palladius (p. 1-3. Indic.) Indiae gentes tanquam arti-



Antequam vero ad perscrutandas Philosophiae Indicae origines progrediar; pauca tantum de Palladio adjungam, cujus fragmentum de Indiae populis, cum Pseudo-Ambrosii fabulosa narratione, et fictis aliquot Gymnosophistarum epistolis Edoardus Biffaeus edidit. (Lond. 1668.) Hic igitur Palladius, qui quarto post Christum natum saeculo vixit, ingenue fatetur, se ipsum Indiae quidem oras attigisse, neque tamen unquam cum Gymnosophistis collocutum esse, quippe qui longe ab Indiae tum temporis cognitae finibus Gangis litora incolerent. Quae-

G 5

cun-

artibus atque disciplinis excultas describant, ut potius omnes testentur, utraque Indicae Peninsulae litora suo tempore horrida, atque a feris tantum gentibus atque latronibus obsessa fuisse. Non celabo tamen lectores meos Bardesani testimonium, apud Eusebium (VI. 275. praep. Evang.) affirmantis, Brachmanas Deo semper vacare, ab imaginum vero ac statuarum adoratione longe remotos esse. Licet vero viri hujus auctoritatem idcirco prorsus rejicere possem, quod illos scriptores secutus est, qui Indos Graecorum sapientia decorarunt, concedam tamen, ipsius aetate opinionem de uno omnium rerum auctore inter Brachmanas pervulgatam fuisse. Statim enim demonstrabo, Indorum sacerdotes hanc sententiam pluribus ante Palladium saeculis accipere potuisse,



cunque igitur de Indorum sapientibus traditurus sit, ea omnia se ex Scholastici cujusdam ore hausisse, qui fate quodam in Indiae interiora delatus sit. Hic vero misellus declamator, quem incitua sua patria expulerat, quemque Palladius stulta credulitate secutus est, nihil fere novi praeter unum alterumve monstrum e longis erroribus suis retulit. Post incredibiles enim formicarum et serpentum magnitudines, quas ipse quoque vidisse et miratus esse videri voluit, unum tantum incognitum antea portentum Odontis nomine finxit, quod maximae molis Elephantum uno haustu devorare posse Palladio persuasit. Brachmanum vero mores et vitae rationem non aliter quam antiquiores auctores descripsit: hoc unicum adjiciens, viros hosce Deum continuis precibus colere, precantes vero orientis solis *) splendore neglecto universum coelum adspicere. Neque tamen Gymnosophistae vel stupido huic homini subtilem fati-

tis

*) Lucianus contra testatur, Solem ab Indis cultum esse. H. Tom. Opp. omn. Ed. Reitzii p. 278.



tis et accuratam divinae naturae cognitionem habere visi sunt.*)

Licet vero haecenus multis rationibus efficere contenderim, ante Alexandri aetatem nullas inter Indos litteras, neque veram philosophiam extitisse; praevideo tamen, fore ut plerique lectores hanc mihi quaestionem proponant: qua tandem ratione acciderit, ut eadem doctrinae, quas Alexandri comites Indis affinxisse ego statuum, nostra adhuc aetate inter Brachmanas inveniantur, atque a multis retro saeculis inter Indorum sacerdotes vigerint? Sine summa enim impudentia negari non posse, quod omnes recentiores rerum Indicarum scriptores uno ore testentur, unius Dei cognitionem aliaque praecleara dogmata in sacris quibusdam Brachmanum commentariis contineri, quorum tanta antiquitas sit, ut eorum origines omnem memoriam superent. Hinc itaque non sine verisimilitudine concludi posse, doctrinas de Deo rebusque divi-

*) σεβομενοι τον Θεον, και γνωσιν μιν εχοντες, ηχ ουτως δε λεπτην, μητε δε διευκρινειν ουτως της της προνοιας λογης δυναμενοι.



divinis, quas Graeci pariter ac nostrae et superiorum aetatum auctores diversissimorum temporum Brachmanibus attribuerunt, in ipsa India natas esse, atque longe ultra Alexandri imperium ascendere.

Ego quidem non ita impudens sum, ut omnia, quae Rogerius, Bernerius, Hollwell, Dow, Anquetil aliique vel ab ipsis Brachmanibus acceperunt, vel ex eorum etiam libris descripserunt, tanquam fabulas rejicere auserim. Cum omnibus potius credo, Indorum prudentes ac doctos viros a multis inde saeculis de Deo, mundi et hominum natura Graecorum instar disputasse, atque disciplinas suas multis iisque antiquis commentariis complexos esse; ne illud quidem nego, libros hos atque sermonem, quo eorum auctores usi sunt, in ejusmodi tempora incidere, quibus Indorum gens artibus ingenuis atque litterarum elegantia non mediocriter exulta erat: illud vero nego et constanter negabo, doctrinas illas, quas inter et Graecorum placita tam insignes similitudinesprehenduntur, ab Indis hominibus sine externa

terna



terna ope, et ante Alexandri aetatem inventas esse. Praecipua vero causa, quare docti viri Indos omnia sibi ipsis debere opinati sunt, haec est, quod rationes et vias non viderent, quibus Graecorum philosophia ad Indorum sacerdotas pervenire potuerit. At vero multis et validis argumentis probari potest, Brachmanum doctrinam non solum peregrinae stirpis, verum etiam multis annorum millibus post illa tempora inventam esse, quibus ipsam a Deo quodam majoribus suis traditam fuisse impudentissime gloriantur.

Ut vero ratione et via progrediatur oratio; primum lectores monendos esse existimo, difficile valde judicatu esse, quid Indorum Brachmanes superioribus saeculis de maximis rebus statuerint et nostra adhuc aetate statuunt. Omnes enim scriptores, qui post Graecos atque Romanos illorum mores et opiniones litteris consignarunt, adeo diversa et inter se pugnantia tradunt, ut quid verum falsumve sit, quem sequi spernereve debeas, vix ac ne vix quidem dignoscere possis. Si quid tamen judicare possum;



sum; Bernerius atque Rogerius ceteris omnibus longe antepoenendi sunt. Ambo enim ab omni partium studio vacui Indorum gentem atque Brachmanum disciplinam neque admirati sunt, neque etiam contemserunt, praetereaque non publica tantum populi sacra et religiones summa diligentia observarunt, verum etiam ad doctorum et fide dignorum sacerdotum familiaritatem sese applicuerunt. Uterque tandem, quae vel ipsi viderant, vel a prudentibus viris acceperant, ea fide conscripserunt, ut illorum integritas atque industria ab omnibus, qui illos secuti sunt, laudata, testimonia vero confirmata, neque ab ullo unquam in suspicionem adducta sint. Cum cordatis hisce viris nullo modo comparari potest Hollwellus, vani ac stolidi ingenii homo, quem novum quendam Megasthenem recte appellare possis. Tanta enim tamque insana Brachmanum doctrinae admiratione abripi se passus est, ut inter illos solos veram sapientiam, rectamque Deum colendi rationem inveniri sibi persuaserit, et sanctissima nostra religione, nec non clarissimorum ingeniorum disciplinis superbe spreto, Indorum tantum nugas tanquam divina



divina oracula veneretur. Huic viro idem accidit, quod innumeris alijs ejusdem notae hominibus evenisse notum est, ut nempe cum summa credulitate et ingenii perversitate vel imbecillitate non minorem in fingendis et interpretandis fabulis audaciam copularet. Saepissime igitur ea fidenter negat, quae a ceteris omnibus affirmata et credita sunt: eaque contra ponit, quae reliqui, qui ipsum antecesserunt, sive consecuti sunt, vel ignorarunt prorsus; vel expressis etiam verbis tanquam portenta negligenda esse testati sunt. Non puduit illum, eosdem libros tanquam recentioris aetatis et suspectae fidei rejicere, quos Bernerius, Rogers, Dow, Anquetil aliique pro veris et antiquissimis ab Indorum Brachmanibus haberi testantur; alios vero tanquam genuina et prisca Indorum sapientiae monumenta nobis obtrudere conatur, quos viri modo laudati multis post Vedam vel Bedas saeculis commentariorum nomine scriptos esse affirmant. Neque vero in narrationibus et fictionibus suis magis sibi constat, quam Alexandri comites secum ipsos consensisse supra a me demonstratum est. Postquam enim divinam naturam



ex Brachmanum mente summa verborum gloria descripsit, alio loco, tam ridiculas atque impias de summo numine fabulas ipsis tribuit. ut nemo non intelligat, priorem illam atque a veritate non procul remotam Dei notionem, et posteriores nugas neque iisdem temporibus existere, neque ab iisdem hominibus credi potuisse. Ne vero hujus scriptoris erroribus longius immorer, illud tantum addam, longam, quam ipse nescit, fabulam de innumera daemonum multitudine, virtute quondam et sapientia praestantium, postea vero ob laesae divinae majestatis crimen in terram ac terrena corpora praecipitatorum, ab omnibus aliis auctoribus ignorari, eamque ob causam vel ab ipso Hollwello, vel a Brachmane quodam novitatis avido fictam esse videri. — Hunc credulum atque mendacem scriptorem multis quidem intervallis post se relinquit ipsius popularis Döwius, nec pauca tamen sunt, quae doctus Indicarum legum editor in praeclaro hoc viro jure reprehendisse mihi videtur. Quamvis enim ipsius scribendi genus militarem quandam candorem, et animi simplicitatem adeo manifeste ostendat, ut ipsius fides ulli vix suspicioni

obnoxia



obnoxia esse possit: non sine causa tamen harum rerum intelligentes iudices severum et accuratum iudicium in examinanda illorum hominum, a quibus sua accepit, auctoritate, nec non pertinacem in observandis Brachmanum institutis et religionibus diligentiam desiderarunt. Eodem fere modo de Anquetilio statuendum esse censeo, quem multa de Indis atque Brachmanibus in Peregrinationis suae descriptione attulisse notum est. Quaecunque enim suis sese oculis vidisse profitetur, ea satis cum aliorum gravium auctorum narrationibus consentiunt. Quaecunque vero tanquam ab aliis audita refert, ea saepius ita se habent, ut de illorum veritate eorumque hominum, quibus ista debebat, fide non possis non dubitare,

Quodsi igitur de horum scriptorum, quos haecenus nominavi, auctoritate mecum sentiunt lectores, ea nobis tanquam vera tenenda sunt, quae ab omnibus vel fide saltem dignioribus viris sine ulla verborum ambiguitate affirmantur: ea contra pro falsis vel parum recte observatis habenda, quae ab iisdem vel silentur, vel



negantur. Neque tamen spernenda esse censeo, quae a solo Rogerio vel Bernerio in litteras relata, a reliquis vero silentio praeterita sunt. Nullus enim non facile videt, quemvis horum virorum multa vel audire vel observare potuisse, in quae nemini postea incidere contigit. Hollwellus vero nunquam audiendus est, nisi alium aliquem gravem scriptorem tanquam sponforem pro testimonii sui veritate dederit.

Has itaque regulas si sequimur, negari non potest, Brachmanum ordinem ab antiquissimis inde temporibus in plures sectas divisum fuisse, qui licet de multis rebus inter se pugnent, in eo tamen consentiunt, ut divinam libri cujusdam, quem nostri homines vel Beth, vel Beda, vel Viedam scribere et appellare solent, auctoritatem, unum praeterea summum omnium rerum auctorem et rectorem, nec non innumeros alios huic supremo Deo obedientes Deos Deasque agnoscant, quas tamen neque iisdem nominibus vocant, neque etiam iisdem dignitatis gradibus constitutas esse opinantur. Non minus certum atque exploratum est, sacra Brachmanum im-

mensae



menfae molis volumina tanta antiquitate esse, ut doctiffimorum sacerdotum nemo neque ipforum auctorem, neque qua fcripta fint, aetatem nominare et finire audeat, eaque propterea coelitus delapfa, five majoribus fuis a numine quodam Bramah tradita esse fabulentur *). Omnes porro fcriptores affirmant, antiqui hujus Indicarum litterarum monumenti auctorem vel auctores prisca quadam lingua, cui Shanfcripta nomen est, ufos esse. Quae licet lingua dudum ita exftincta et paene intermortua fit, ut in ipfa India pauci inveniuntur, qui illam intelligant; omnes tamen, qui qualemcunque ejus notitiam fibi compararunt, fatentur, tanto illam artificio conftitutam, tamque illam copiofam esse, ut non ceterarum linguarum inftar casu vel temere nata, verum potius sapientiffimorum hominum confilio inventa videri poffit.

H 2

Nar-

*) Vide interim testimonia, quae doctus Indici libri, cui Ezaur Vedam titulus est, editor de antiquiffimis Indorum voluminibus conquifivit. (T. I. 137.) Haec fi fequimur, non folum valde incertum est, an prisca illa fcripta adhuc exiftant, verum etiam haud improbabile, eadem non longe ante decimum aerae noftrae faeculum confecta esse.



Narrant etiam rerum Indicarum scriptores, doctos diversarum aetatum viros eadem volumina non eodem semper modo interpretatos esse, hincque varias Brachmanum sectas extitisse, quarum quaevis sola verum perspexisse, suasque opiniones in Veda libris contineri acriter defendat. Illud denique in confesso est, omnia Brachmanum genera ea superstitione imbuta esse, hominum animos e corporibus, quibus per aliquod tempus inclusi fuerint, in alia tum hominum tum ceterorum animantium corpora migrare atque harum migrationum beneficio a flagitiorum, quibus inquinati sint, sordibus purgari *). Haec opinio inprimis in causa est, quare plures Brachmanum sectae omnia animalia tanta veneratione prosequantur, ut ea ne Diis quidem sacrificare, iisve vesci sustineant, verum potius Deorum immortalium instar divinis honoribus colant **).

Haec

*) Ab hac communi Brachmanum opinione discessit auctor libri, quem paulo ante citavi. Hic enim animarum migrationum nullam mentionem facit, eamque potius sententiam tuetur, hominum mentes post corporis mortem statim vel in beatam summi numinis sedem evoluturas esse, vel ad horrenda quoque impiorum domicilia depressum iri.

***) Non pauci Brachmanum eo insanae progrediuntur



Haec fere earum opinionum summa est, quas omnibus vel plurimis saltem Brachmanum sectis communes esse gravissimorum hominum consensus nos dubitare non sinit. Ex iisdem vero scriptoribus apparet, Indorum Brachmanas in explicanda mundi origine atque interitu, in definienda hominum Deorumque natura, in constituendis denique boni malive finibus non minus quam Graecorum quondam Philosophos inter se discrepare. Ex hac vero contrariorum dogmatum multitudine ea tantum decerpam, e quibus alterutrum efficitur, aut Graecos disciplinas suas ab Indi et Ganges accolis petiisse, aut Brachmanas decreta sua e Graecorum fontibus hausisse.

Primum igitur valde inter se digladiantur Indorum philosophi, quando de mundi ortu disputare incipiunt, quas eorum pugnas nemo melius Bernerio tradidit atque complexus est, (II. 150. 164) cum quo in omnibus fere consentit Dowius. Ex illius narratione Brachma-

H 3

num

untur, ut foedissimas bestias summo studio conquirant, magnisque sumptibus coemant, ut eas a mortis periculo liberare, posteaque in certis quibusdam domibus tanquam propinquos suos alere possint.



num non pauci statuunt, mundum hunc ex individuis et minimis corpusculis conflatum esse; alii vero ad Aristotelis sententiam propius accedunt, atque res omnes ex materia et forma; quarum tamen neutra ab illis clare definitur, concretas esse censent: alii iterum universum ex quatuor rerum elementis atque nihilo, vel ex luce et tenebris, vel ex nihilo et qualitatibus mutabilibus ortum atque coagmentatum esse volunt. Postremo Brachmanum secta invenitur, qui summum Deum simili modo ex se ipso universum mundum genuisse autumant, quo araneae tela e corporibus suis educere solent. Observat tamen egregius scriptor, homines hosce tam parum sibi ipsos constare, ut Deum longe lateque sese diffundentem et multiplicantem cogitent, eundemque nihilo minus individuum quandam et immortalem naturam esse pertinaciter defendant. Hunc summum Deum omnibus, quae maximae fingi possunt, virtutibus exornant: eum nempe optimum, maximum, sapientissimum omnium rerum parentem venerantur: eundem porro admirabilium, quibus caelestia corpora, ceteraeque res volvuntur



et agitentur, ordinum atque motuum causam appellat: illum denique tanquam mundi gubernatorem et moderatorem adorant. Statuunt praeterea, sive Deum hunc, sive excellentissimam quandam animam per rerum naturam intentam esse, atque ex ea non solum hominum et ceterorum animantium animas decerptas esse, verum in eandem quoque post corporum interitum vel nulla interposita mora, vel longis errorum et migrationum orbibus confectis relapsuras esse. Negant vero, in hoc mundo, praestantissimi artificis absolutissimo opere, res per se malas atque imperfectas inveniri: morbos quippe, ceteraque corporis et fortunae incommoda inter mala referri non posse, quod honesti viri neque virtutem neque felicitatem imminuant: errores vero atque vitia propterea malorum nomine appellanda non esse, quod his ipsis divina providentia ad promovendam summam mundi excellentiam atque virtutem uti sciat *).

H 4

Contra

*) Non possum non illud etiam animadvertere, Brachmanas opinionum hactenus expositarum defensores tempus eodem modo definire, quo Plato illius naturam in Timaeo explicavit.



Contra hanc Brachmanum sectam aliud philosophorum genus pugnat, quorum principes magis cum Aristotele, quam cum Platone sive Stoicis facere manifestum est. Hos nempe a prioribus istis in eo maxime differre Bernerius ait, quod praeter mentem divinam, nullis partibus constantem, omniumque rerum effectricem, aliam patibilem mundi animam statuunt, quae in partes dividi et quodammodo lacerari queat, variisque mutationibus obnoxia sit. Tempus porro et spatium, nec non corporum individuum et vi quadam genitrice praedictorum infinitam multitudinem ab omni aeternitate extitisse volunt. Illud tamen inter utrasque partes convenit, universum mundum certo quodam tempore summi numinis voluntate atque virtute deletum iri.

Has itaque Brachmanum sententias si cum Graecorum Philosophorum decretis comparamus, tot tamque insignes utrarumque similitudines sponte quasi se offerunt, ut non possit non cuius illa cogitatio suboriri, haec decreta vel a Graecis quondam ad Indos, vel a Brachmanibus



ad Graecos transiſſe. Jam vero horum dogmatum in Graecia origines quemvis docere poſſunt, nihil magis incredibile eſſe, quam Graecos illa ab Indorum Brachmanibus accepſiſſe. Platonis enim et Ariſtotelis ſcripta, aliaque incorrupta monumenta teſtantur, ea placita, quae noſtrae continentis homines inter Indos deprehenderunt, maximam partem a Platone et Ariſtotele, unum vero alterumve a Zenone inventa eſſe. Horum vero magnorum virorum ambo priores, pluribus annis antequam Alexander Indiam ingrederetur, Philoſophiam ſuam vel viva voce Athenis docuerunt, vel ſcriptis quoque per univerſam Graeciam publicaverunt. Neque ullus unquam inventus eſt, qui vel ipſos, vel poſt Indiam patefactam Zenonem Brachmanum ſapientia proſeciſſe ſuſpicatus ſit. Fruſtra vero hoc loco Democriti atque Pythagorae fabuloſae peregrinationes objicerentur. Hae enim primum eadem fiducia, qua Bacchi et Herculis expeditiones, negari vel pro fictis et commenticiis declarari poſſunt. Deinde vero in ſequentibus demonſtrabitur, neutrum horum philoſophorum de mundi origine et divina natura ita ſenſiſſe,



fisse, ut Plato postea, Aristoteles et Zeno doecerunt, et Indiae Brachmanas pluribus inde sacculis statuiffe cognitum est.

Quum igitur prorsus incredibile sit, Gracos ab Indis didicisse, videndum est, annon Brachmanam disciplinæ majore veritatis specie e Graecia derivari possint. Equidem non ignoro, raræ eruditionis et præstantissimi ingenii virum, Bayerum, multa eaque præclara, ad hanc rem pertinentia, attulisse; (in Historia regni Græcorum Bactriani p. 165 etc.) neque tamen illum omnia mihi ita præripuisse opinor, quin nova quaedam nec prorsus pervulgata addere possim.

Primum igitur illud lectoribus in memoriam revocandum esse existimo, Alexandrum post perdomitam Asiam hoc sibi inprimis propositum habuisse, ut fractas et perculsas gentes tam connubiis quam linguæ, morum, litterarum, institutorum et religionum similitudine cum victoribus conjungeret. Hunc itaque laudabilem finem ut eo certius consequeretur,



tur, non solum adhortationibus et suo ipsius exemplo, verum etiam ingentibus donis amicos et milites suos ad externa matrimonia pellexit, et tam felici quidem successu, ut praeter Macedonum principes alia decem Graecorum millia Persarum aliarumque gentium virgines nuptiis sibi adjunxisse Arrianus testetur. (Exped. Alexandri, VII. 4) Nullam porro Alexander gentem vel regionem armis subegit, in qua non unam vel plures novas urbes condidisset, easque vel veteranis suis vel aliis quoque commilitonibus, quos militiae taedium ceperat, incolendas tradidisset. Ejusmodi urbium ab Asiae victore per universum imperii sui ambitum constitutarum septuaginta enumerat Plutarchus, (de fort. Alexandri VII. 300 Ed. Reisk:) atque inter has Bucephaliam atque Nicaeam in Indorum terris exaedificatas. (vid. Strabo p. 699.) Hisce vero civitatibus circumjacentes populos sensim excultos et mansuefactos fuisse facile credi posset, nisi Plutarchus etiam et Arrianus expressis verbis idem testatum reliquissent. Nec hic quidem substitit excelsi et vere regalis animi cura ac diligentia in perpoliendis Asianorum ingeniis:



e nobilissimis quippe victarum gentium familiis triginta juvenum millia seligi, eosque omnes Graeco sermone, Graecorum moribus et litteris institui iussit. His tandem praeclaris consiliis id effecit, ut pristina barbarie, ac morum foeditate expulsa universa paulatim Asia mitesceret, atque ferocissimae gentes vaga et agresti vita relicta ipsi Graecorum humanitati et elegantiae assuescerent. Non immerito itaque Plutarchus inter maximas Alexandri laudes vel felicissimos ipsius victoriarum fructus hos refert, quod Scythae Graecorum consuetudine et vicinitate emolliti mortuorum corpora devorare desierint; Indi vero et Bactriani Graecorum Deos venerari, et Persarum denique et Gedrusiorum filii Homerum legere, et Euripidis ac Sophoclis carmina canere coeperint. Negari igitur non potest, Alexandri laboribus et studiis Graecarum litterarum semina, sicuti per ceteras Asiae gentes, ita etiam per plures Indiae regiones et populos sparsa esse. Neque laeta haec melioris doctrinae initia post luctuosam Alexandri mortem pristina iterum barbarie oppressa atque extincta sunt. Constat enim, Graecos praefectos et reges per longius quam



quam saeculi spatium non solum Bactrianam regionem imperio tenuisse, verum etiam magnam Indiae partem ditionis suae fecisse. Non improbabilis itaque conjectura est, horum virorum opera atque industria Graecorum linguam et litteras non solum retentas, verum etiam indies latius disseminatas esse. Ne ipsa quidem Parthorum dominatio florentibus per Asiam externis litteris ullam cladem attulit vel minitata est. Tantum enim abest, ut Arfacidae Graecanicam elegantiam et eruditionem aspernati sint, ut potius non sine gloriatione quadam se ipsi *Φιλελληνας* appellaverint, Graecorum porro litteras nummis suis inscribi, eorumque fabulas coram se agi jusserint. Si quis haec omnia animo secum reputat; is profecto non mirabitur, doctissimae gentis linguam Augusti aetate ultimas Asiae oras ita pervagatam esse, ut Indorum regulus (teste Nicolao Damasceno apud Strabonem XV. 719.) litteras Graece scriptas ad Romanorum principem mitteret. In hac tanta, fide dignissimorum testimoniorum evidētia, ne utar quidem Apollonii apud Philostratum



stratum confessione, dicentis, Indiae populos Graecorum lingua tanquam sua usos esse.

Non vero uno vel tempore vel modo et itinere externae religiones et disciplinae in Indiam penetrarunt. Nullum enim fere dubium superest, quin inhumana crudelitas, qua recentiorum Persarum reges in constantes verae religionis affectas saevierunt, ad promovenda inter Indos litterarum studia et coelestem veritatem latius spargendam non parum contulerit. Quod si nullis quoque expressis scriptorum testimoniis probari posset: cuivis tamen valde credibile esse deberet, ingentes hominum catervas, impendentium malorum, et intolerandorum cruciatuum metu territos in voluntarium exilium abiisse, atque e Perside in Indiam aliasve vicinas regiones confugisse, ubi summa securitate Deum suum venerari, patriamque religionem publice profiteri nullis neque legibus neque tyrannorum edictis prohiberentur. Non opus vero est ejusmodi licet summopere probabilibus conjecturis. Primum enim sci-

mus,



mus, magno Christianorum doctorum concilio Nicaeae habito virum quoque primarium interfuisse, cui religionis Christianae per Indicas terras tuendae et propagandae cura demandata erat. (Hist. Syn. Nic. II. 28. *). Praeterea Cosmas Indicopleustes luculento loco, quem Bayerus citavit (p. III.) testatur, suo tempore (trecentis fere post Philostratum annis) innumeras Christianorum societates per Bactrianam et universam Indiam dispersas fuisse, quae Antistites suos, et *μοναζοντας ησυχαστας* habuerint. Narrat etiam, se ipsum in Aethiopia commorantem in homines e Sacotora Insula oriundos incidisse, qui Graecum sermonem calluerint et usurpaverint. Non itaque incredibile est, quod Anquetilius (Vol. I. p. 174) tradidit: Judaeos et Christianos nostra adhuc aetate in India degeates summa cura litteras publicas vel edicta conservare, quae ante mille vel nongentos saltem annos ab istorum temporum regulis conscripta

*) Hunc locum docto viro debeo, qui Indicum librum Ezoar Vedam edidit. Vide ejus Praef. p. 90.



scripta sint, et utriusque gentis jura atque privilegia complectantur *).

Nondum tamen haecenus omnes vias indicavi, quibus externa sacra et Graecorum litterae ad Indos pervenerunt, vel saltem pervenire potuerunt. Quis enim rerum in Oriente gestarum adeo incuriosus est, ut nesciat, Arabes non longe post Muhamedis mortem Indiam quoque intrasse et aliquot deinde saeculis elapsis omnia, quibus interim exculti fuerant, artium atque scientiarum ornamenta, in devictas Indiae regiones intulisse. Omnes itaque gentis hujus scriptores, imprimis tamen Ferishta, quem Dowius in Anglicanum sermonem transtulit, multis locis testantur, principes suos tam in Indiae urbibus, quam in terris Indiae vicinis magnifica musea et publicas scholas condidisse, in quibus bonarum litterarum professores magnis sumptibus alerentur, praetereaque omnis generis doctos

*) Ne urgebo quidem illud, quod antiqua inter Indos fama fert, religionem nempe Christianam a sancto viro Thoma in Indiam illatam esse.



doctos homines secum habuisse, inter quos non pauci memorantur, qui utiles doctrinas, quas ipsi maximam partem Graecis acceptas debebant, Indis iterum tradere coeperunt. (vide Abulph. p. 211.) Neque igitur Arabum de Brachmanibus merita silentio praetermittenda sunt, si quis earum opinionum origines explorare sibi proposuit, quas Indorum sacerdotibus cum Graecis et Christianis communes fuisse et adhuc esse cognovimus.

Quae cum ita sint; illud solum considerandum restat, an alia quoque Graecae eruditionis vestigia inter Brachmanas supersint, e quibus intelligi possit, Indos philosophiae suae dogmata non proprio Marte invenisse, verum vel ab ipsis Graecis vel Graecorum quoque discipulis accepisse.

Huic quaestioni ut satisfaciam: primum lectores animadvertant velim, e piorum et doctorum virorum commentariis, qui verae religionis docendae causa in Indiam profecti sunt, abunde constare, (Vol. II. 708. 1021.) omnia fere numerorum nec non signorum Zodiaci vo-



cabula vel e Graeco vel etiam e Latino sermone desumpta esse, quod nunquam factum esset, si Indorum gentes ante Graecae et Romanae linguae in Indiam adventum his rebus nomina imposuissent. Nulla vero alia re magis declaratur, quantis tenebris Indiae incolae ante acceptam externarum litterarum lucem oppressi fuerint, quam eadem hac verborum penuria, quibus utilissimarum et maxime necessariarum disciplinarum elementa et notiones exprimuntur. (vide etiam Bayerum p. 46. 47.) Idem vir doctus multis rationibus et testimoniis ostendit, (§. 48. etc.) litterarum etiam, quibus Brachmanes in designandis numeris uti soleant, ordinem et potestatem, praeterea universam paene Arithmeticam, ex hac vero praesertim doctrinam de fractionibus, postremo omnem tempora describendi et fastos ordinandi rationem cum Graecorum inventis adeo consentire, ut dubitari non possit, Indorum Brachmanas non philosophiae tantum praecepta, verum etiam ceterarum artium fundamenta vel ab ipsis Graecis vel ab aliis etiam Graecas litteras edoctis hominibus accepisse.



In ipsa porro Indorum religione non paucae opiniones et appellationes inveniuntur, quae e Christianorum libris vel institutis haustas esse negari non potest. Tam bonos enim quam malos genios vel Deos vel Deos vel etiam Dewtas romano verbo nominare solent, (Dow I. p. 76. Roger. I. c. 8.) loca porro taetra et formidolosa, in quibus scelesti quondam et nefarii homines ob impia facta omni tormentorum genere cruciantur, Gehennae nomine indigitant: dudum denique sibi persuaserunt, vel Vistnu vel Brachmam, quem divinum et coelitus delapsum gentis suae doctorem venerantur, in septima sua apparitione Christum vel Chrixnu nomen atque personam assumpsisse. Ne vero in eiusmodi exemplis cumulandis nimius sim; lectores meos ad istos libros ablego, quos de Guignes in sua Hunnorum historia (Vol. I. P. II. p. 225 etc. vide etiam Mem. de l' Acad. des scienc. XXVI p. 783.) et Rogerius in fine libri saepius a me citati Gallica atque Belgica lingua reddiderunt. *).

*) Omnem hic dubitationem sustulerunt Indorum libri, quorum alterum nondum editum examina.



Gravis vero atque doctorum hominum attentione non indigna illa quaestio est, qua potissimum aetate Indorum Brachmanes Graecas artes atque litteras non solum ediscere, verum etiam docere et libris explicare coeperint. Ego quidem fateor, vani et nimium sibi fidentis ingenii indicium fore, si quis in tanta Indicorum librorum inopia singularum doctrinarum et disciplinarum ortum atque progressum accurate describere et notare vellet; neque tamen despero, me unam alteramve conjecturam in medium proferre posse, quibus externarum litterarum in Indiam progressus atque cultura quodammodo definiri queat. Valde enim probabile mihi videtur, non longe ante Christum natum vel circa religionis nostrae auctoris tempora viros in India extitisse, qui peregrinam sapientiam

minavit de Guignes (T. 38. Mem. de l'Academie des Inscr.) alter vero sub Ezour-Vedam titulo nuper publici juris factus est. In hoc libro totius humani generis parens Adimo appellatur, et Christianorum doctorum exemplo piis aeterna praemia, impiis vero hominibus sempiternae poenae propterea decernuntur, quod Dei bonitas atque justitia immensae sint, et utriusque igitur effectus non nisi infiniti esse queant.



entiam ad gentis suae indolem transformare, atque tum viva voce, tum etiam scriptis commentariis inter populares suos disseminare aggressi sunt. Clemens enim Alexandrinus omnium primus est, qui magni alicujus et celebris doctoris Buttae nempe nomen adduxit, quem Brachmanes ipsius discipuli non solum sequerentur, verum etiam tanquam Deum colerent. (p. 305. Edit. Sylb.) Hic Butta sive Budda sine dubio idem est, sub cujus nomine summum Deum, quem Vistun appellant, apparuisse Brachmanes adhuc memorant, quemque a Thibetanorum Lo, a Siamensium Sommona Codom, a Sinensium Fo et Che-Kia, a Japanensium denique Budda diversum non esse recte meo quidem judicio cl. de Guignes conjecit. (l. f. c. p. 776.) Non possum tamen docto huic viro adstipulari, quando hunc novarum religionum auctorem septimo ante aerae nostrae initium saeculo natum esse existimat. (T. 26. Mem. p. 180.) Hoc enim si verum esset, dubitari non potest, quin ipsius nomen Straboni atque Arriano cognitum fuisset, ejusque etiam doctrinae multo citius in ultimas Asiae plagas penetrassent, quam eas



illuc pervenisse certo scimus. Hic igitur Budda vel omnium primus, vel inter primos saltem fuisse videtur, qui Graecorum placita cum antiquis Brachmanum superstitionibus et vivendi ratione copulaverit. Ferunt enim illum docuisse, summam hominum virtutem et felicitatem in omnis sensus omniumque perturbationum extinctione et privatione consistere, hominumque animos tum demum beatissimos fore, quando post corporum suorum interitum in nihilum redituri sint, quo verbo illum divinam et impatibilem naturam significasse verisimile est.

Huic meae conjecturae alteram adjicio, ex hujus nempe aliorumque virorum, qui eadem fere tempestate ad externa studia sese applicuerunt, institutionibus ingentes sine dubio discipulorum catervas prodiisse, quorum opera et junctis viribus praeclara illa et toties laudata antiqua Brachmanum lingua inventa sit. Nisi enim semper peregrino sermone uti volebant; de nova ipsis lingua cogitandum erat, qua novas res atque incognitas hactenus notiones exprimere, simulque doctrinas suas cum patria
 reli-



religione pugnantes ceteros Indorum ordines celare poterant. Ejusmodi vero linguae inventio adeo arduum atque difficile negotium esse mihi videtur, ut illud non nisi multis hominum aetatibus perfici potuisse existimem. Haec igitur ob causam statuamus necesse est, quatuor istos libros, qui Beda inscripti sunt, aliquot demum saltem post Christum natum saeculis a pluribus auctoribus conditos esse *). Non ignoro quidem Indorum sacerdotes hos commentarios duobus saltem annorum millibus antiquiores facere, neque tamen ejusmodi mendacia

I 4

quen-

*) Doctus Indici libri Ezour-Vedam Editor nos docet, I. p. III. non paucos ex Indorum Brachmanibus dubitare, an quatuor, quos Vedam complexus esse dicitur, libri integri adhuc existent. — Idem vir doctus e comparatione hujus Vedam cum aliis commentariis colligit, illum mille circiter annis post Christum natum scriptum esse. (p. 137.) Horum vero commentariorum duo genera sunt: alii enim Puranam, alii Shaster appellantur. Ex illis Bavagavadam unus est, de quo cl. de Guignes sententiam suam tulit (in T. 38. Mem. de l'Ac. des Ins.) Inter hos vero referri debent tum Ezaur Vedam, tum etiam libri isti, e quibus Dowius et Hollwell quaedam nobiscum communicarunt. Utriusque generis scripta quinque saltem saeculis post Vedam composita esse, Brachmanum opinio est. (vide l. c.)



quenquam movere debent, quum ex aliorum scriptorum testimoniis imprimis vero ex brevi illa, quam operi suo praemisit Dowius, introductione appareat, Indorum historiam non multum ultra Arabum irruptionem ascendere, ipsosque Brachmanas Deorum regna aliaque portenta jactare incipere, simulatque ultra tempora a me modo notata progredi audent.

Si quis vero e priscis Brachmanum scriptis Indorum vulgi de divina natura opiniones aestimare vellet, ille profecto non minus a veritate aberraret, quam si quis Graecorum multitudinem cum Platone vel Aristotele sensisse opinaretur. Ab omni enim tempore Brachmanes libros suos tanto studio celarunt, ut eorum doctrinae ad inferiores ordines penetrare non possent, verum intra Brachmanum, vel proximum ipsis dignitate Indorum genus subsisterint. Nullae itaque res tam contrariae et inter se pugnantibus cogitari possunt, quam Brachmanum disciplinae, et reliquorum Indorum superstitiones, quas omnium aetatum auctores tanquam

inful-



insulsiſſimas et humana pariter ac divina natura indignas deſcripſerunt.

Hoc vero multis magis mirum videbitur, ne ipſius quidem Brachmanum ordinis doctrinam et cogitandi rationem ex antiquis illorum ipſorum monumentis aeſtimari poſſe. Et nihilo tamen minus certum eſt, hoc hominum genus innumeris civilium et externorum bellorum calamitatibus atque crebris barbararum gentium incurſibus longaque dominatione adeo ſibi diſſimile factum, atque in tantam artium, quas majores excoluerunt, ignorationem prolapſos eſſe, ut inter ipſos et reliquam Indorum turbam nihil fere intereſſe dicendum ſit. Quotquot enim vel noſtra vel ſuperiore aetate Indiam adierunt, uno ore teſtantur, admodum paucos inter Indorum ſacerdotes inveniri, qui praeclaram antiquitus ipſis traditam linguam calleant atque vetuſtiſſimos libros interpretari et legere didicerint. Bernerius e. g. narrat, (T. II. 102. 140. 152 etc.) jam ſuo tempore Brachmanum doctiſſimos non ſolum orbis terrarum figuram, motum regionumque ſitus, verum etiam Solis et Lunae de-



sectuum causas cum imperitissimis ignorasse,
 atque de his rebus non minus portentosas fabu-
 las, quam de decem summi Dei apparitio-
 nibus protulisse. Hisce testimoniis con-
 sentanea sunt, quae se ipsum vidisse fide
 dignissimus scriptor memorat. (Roger. I. c. 16.
 II. 1. II. 12.) Hic nempe ait, cujusvis sectae
 Brachmanas alium, atque ab illis, quae ceteri
 colant, numinibus, diversum summum Deum
 colere, cujus gratiam crebra ipsius nominis
 repetitione sese merituros esse falso existiment.
 Eosdem porro praeter hoc supremum numen
 peculiarem quendam Deum, cujus tutelae sese
 tradant, eligere, quem vel lapidis laevigati
 specie vel alia quoque forma secum gestare, at-
 que divinis honoribus afficere soleant. Tandem
 Rogerius testatur, Brachmanas a veterum pru-
 dentia adeo degenerasse, ut cum superstitiosa
 multitudine simili prorsus modo insaniant.
 Affinxerunt enim non solum suprema Deo con-
 jugia, uxores et liberos, verum etiam omnes
 illas imbecillitates et vitia, quibus humana
 maxime natura dedecoratur. Ornant praeterea
 summi numinis imagines pretiosissimis lapidibus,
 indu-



induunt illas magnificis vestimentis easdemque certis quibusdam temporibus lavare solent, ut a sordibus suis purgentur: denique tibicines et publica prostibula conducunt, ut tibiaram concentu et impudicissimis saltationibus Deorum numina oblectentur *). In tanta veritatis ignorantia et errorum foeditate verendum sane est, exiguas Graecae et Christianae sapientiae reliquias inter Indos mox extinctum iri, nisi ipsorum sacerdotes majore, quam hactenus fecerunt, animo atque studio nostras disciplinas arripere incipiant.

Post explicatas Indorum religionis et Brachmanum philosophiae origines atque indolem facile superfedere possem, de ceterarum Asiae gentium sacris atque disciplinis loqui, quum plures viri docti demonstraverint, ipsaque religionum comparatio doceat, omnes Orientem atque Meridiem spectantes Asiae populos Deos suos

*) Rogeri narrationi ea penitus consentiunt, quae Biache altera e duabus personis, quas auctor libri Ezour-Vedam loquentes induxit, de rebus ac naturis divinis ex vulgi et communi Brachmanum opinione in medium profert.



suos Deorumque colendorum rationem ab Indis, quidquid vero litterarum habuerunt et adhuc habent, vel a Graecis, Indiam quondam et Bactrianam incolentibus, vel etiam ab horum discipulis, Brachmanibus scilicet, atque Arabum doctis viris accepisse. Ne tamen antiquam atque ultra omnem modum celebratam gentem consulto praeteriisse videar; breviter etiam in prae-scorum Sinensium de divina natura opiniones, nec non in Confucii florentem adhuc disciplinam inquirere apud me constitui.



SECTIO QUINTA.

De Sinensium religionibus, imprimis de Confucii disciplina.

Quodsi Jesuitas oracula sua fundentes audire volumus, (du Halde T. III. p. 3. sqq.) unica Sinensium natio prae omnibus aliis populis tanta perspicacia fuit, ut a primis statim imperii sui initiis summum et perfectissimum mundi genitorem adoraverit, licet nullis artibus atque litteris perpolita, et recta naturae cognitione prorsus orbata esset. Ajunt nempe, vetustissimos Sinensium reges solos summi numinis, quod vel Tien vel Chang-ti appellaverint, ministros et sacerdotes fuisse, eosque certis quibusdam temporibus pro totius populi salute vota fecisse et sacrificia obtulisse. Ad hanc priscae Sinensium religionis simplicitatem et castitatem probandam provocant non solum ad sacros gentis hujus libros, qui magnorum King titulo dudum



dum in continenti nostra innotuerunt, verum etiam hoc adducunt, primos Sinensis terrae cultores nulla neque templa, neque aras, neque denique fluxa atque caduca divinae naturae simulacra habuisse.

Non repetam hoc loco, quae supra jam aliquoties inculcavi, nihil magis incredibile esse, quam nascentem adhuc et vix dum e vastis solitudinibus collectam multitudinem cum maximis nondum coalitae societatis incommodis et necessitatibus luctantem subito sapientem existisse *), et uno quasi nisu ad sublimem omnium rerum effectoris notionem evolavisse, ad quam longe cultiorum gentium prudentissimos viros non nisi sensim et multis gradibus pervenisse annalium monumenta testantur. Statim igitur accingor ad refellendas eas rationes, quas Sinensium patroni pro puro et incorrupto sum.

*) Non minus incredibile est, quod ipsi Sinenses jactant, (Essai hist. sur l'origine de la philosophie chez les anciens Chinois de Guignes T. 38. Mem. de l'Ac. des Insc.) a primis inde imperii sui initiis disciplinarum doctores, et publicas scholas existisse.



summi numinis cultu inter illos olim vigente proferre solent.

Quod vero primum ad sacrorum librorum et illius nominatim, quem Chu-King appellant, testimonia attinet, accurata libri hujus inspectio quemvis docere potest, omnes Jesuitas, quotquot in multis ejus locis praestantissimam quandam mentem admirabili sapientia descriptam esse affirmarunt, impudentissime mentitos esse, et bellam lectoribus suis fabulam vendere non erubuisse. In universo enim hocce multis modis truncato, atque corrupto antiquae Sinensis historiae fragmento nullum verbum et ne litterula quidem invenitur, quae ad tantam verae Dei cognitionis antiquitatem probandam trahi posset. Multa contra et evidentiis documenta in hoc libro reperiuntur, e quibus apparet, Sinenses inter regni sui origines ceterorum Barbarorum instar sordidissimis superstitionibus deditos fuisse *).

Quod

*) Non minus vanum est, quod dicunt, prisco aevo Tien et Chang. si vocibus summum coeli geni-



Quod vero Sinenses antiquitus numinibus nullas aras atque templa posuerunt, neque Deos in humanam aliamve formam effinxerunt, id ipsis cum omnibus antiquae Scythiae et Germaniae populis, nec non cum vetustissimis Persis, et cum plurimis agrestibus Americae et Africae incolis commune est, quippe qui nullis certis sedibus adfixi, immensas sylvas et incul-tarum regionum spatia pererrantes, vix sibi ipsi tuguriola exstruere sciunt, et multo itaque minus de Deorum imaginibus et templis constituendis cogitare possunt.

Nulla vero re magis declaratur, antiquis Sinensibus veram Dei notionem prorsus inco-gnitam

genitorem et moderatorem designatum fuisse. Ne unicum quidem luculentum testimonium haecenus allatum est, quo probatum esset, Sinensium majores uni alterive horum verborum adeo sublimem notionem subjecisse. Ipsi vero Jesuitae negare non possunt, adspectabile hocce coelum, nec non civitarum et familiarum principes Tien nomine condecorari solere. Quin veritate coacti fatentur, Cham-ti nomen non raro doctoribus ob merita sua inter Deos relatis inditum esse. Vide de Guignes ad Chu-King p. 13. et Longobardi *Traité sur quelques points importants de la Religion des Chinois* p. 182. in Leibniz, *Epist.* T. II.



gnitam fuisse, quam quod Lao-Jauin, qui sexcentis ante aerae nostrae initium annis vixisse dicitur, mortalem virum inter Deos immortales retulerunt, ejusque ineptas opiniones et praestigias non solum summa cupiditate acceperunt, verum etiam ad nostram usque aetatem pertinaciter retinuerunt. Omnes enim rerum Sinicarum scriptores fatentur, hunc veteratorem primum Magiae inter Sinas auctorem fuisse, atque religionis sanctitatem cum Medicinae illecebris callide copulantes remedia praescripsisse, quibus Deorum daemonumque gratia hominibus concillari, irae vero depelli, et ipsa denique immortalitas parari possit. Haec aliaque portentosa nunquam inter Sinensium majores fidem invenire potuisse puto, si veri omnium rerum auctoris et rectoris majestatem illa aetate cognovissent.

Jam satis dictum esse existimarem ad eorum opinionem refutandam, qui multo majores cogitationes, quam quas vel nunc supersticiosa gens capere potest, Sinensibus affingere conati sunt, nisi viri, ingenio et eruditione excellentis,



tis, auctoritatem, quae apud me quoque plurimum valet, argumentis meis opponi posse vereretur. De Guignes nempe in doctis suis, quibus Chu-King ornavit, commentariis non semel (p. 13. 33.) eorum partibus sese adungere videtur, qui Sinenses antiquitus Chang-ti nomine summum quendam Coeli et totius mundi rectorem atque praesidem adorasse statuunt *). Equidem mirari satis non possum, quomodo factum sit, ut vir egregius, quo nemo melius antiquam Sinensium historiam tractavit, et cui nos quoque multum debere grato animo fateamur, ut tantus inquam vir non intellexerit, hanc excelsam unius Dei notionem nulla ratione cum diuturna Sinensium barbarie, caeterisque incultae gentis superstitionibus conciliari posse. Quaecunque tamen ipsi exciderunt, dubiorum quorundam et ancipitium locorum interpretationes me permoverunt, ut antiquorum Sinensium

*) Cum hac ejus persuasione aliud hujus viri iudicium pugnare videtur; Sinenses nempe non ante decimum aerae nostrae saeculum ad rerum et mundi origines perscrutandas sese accinxisse. T. XXXVIII. Mem. de l'Ac. des Ins. p. 273.



flum de Deorum natura opiniones, quantum quidem conjectura investigari possunt, paulo fusius explicare apud animum meum constituerim.

Quoties igitur vetustissimi Sinensium libri auctoris effata attendo, toties in hanc suspitionem adducor, priscos Sinas in eadem fuisse persuasione, qua omnes fere barbaras et semibarbaras gentes imbutas esse constat: Deorum nempe omnia plena esse, nullamque rem in coelo, terra et mari inveniri, quae non divina quadam vi contineatur, atque animae sive naturae cujusdam divinae sensuum nostrorum aciem fugientis sedes quasi et domicilium reputanda sit. Auctor enim Libri Chu-King inscripti modo narrat, Sinarum reges vel coelo et terrae, vel fluviis etiam et montibus supplicasse et sacrificia obtulisse: aliis vero iisque frequentioribus locis de geniis sive daemonibus loquitur, qui montes, terram, flumina, coelum, rerumque elementa, quorum quinque antiqui Sinenses statuerunt, inhabitent, iisque infixi sint. Quod si igitur haec loca inter se comparamus;



non possumus non inde concludere, Sinensibus idem contigisse, quod innumeris aliis populis evenisse notum est, ut nempe divinas vires et potestates, quas rebus coelestibus et terrenis inclusas esse existimabant, modo cum ipsis rebus *) confuderint, modo vero tanquam distinctas naturas ab illis, quibus inhaerent, rebus segregaverint. Quamvis vero illud etiam ponamus, Sinenses nunquam non divinas vires vel naturas, quas omnibus rebus inesse sibi persuaserant, tanquam numina a domiciliis suis prorsus diversa cogitasse; non sine aperta tamen vi verbis illata inde effici potest, quod de Guignes aliique inde sequi arbitrati sunt, Coeli praesidem atque custodem a priscis Sinensibus pro coeli omniumque aliarum rerum genitore habitum fuisse. Multa quidem in hoc libro loca occurrunt, (Chu-King c. 3. et ib. de Guig. c. 8. sect. 2.) e quibus patet, vel ejus auctorem vel ipsius aequales existimasse, Coeli principem sensu
et

*) Vide in p. Chu-King p. 27. ubi Yao judicat, fatalibus numeris coeli fastis inscriptis solum Yeo imperio destinari. Consule etiam Longobardi Lib. modo cit. p. 260. et 290.



et mente praeditum esse, ceterisque daemonibus virtute et potestate excellere; nullum vero tamen haecenus locum invenire potui, ubi mundi molitionis et Domini vel unico verbo mentio facta esset, vel Coeli praesidi cetera numina tanquam ipsius voluntatis ministri subjicerentur. Quin potius assignarunt prisci Sineses (si scriptori vetusto fides est) singulis divinis naturis sedes suas atque regna, in quibus sese jactare et potestatem suam nullis limitibus circumscriptam libere exercere possint. Ab hac opinionis pravitate ad aliam facile transferunt, ab unoquoque scilicet Deorum alia beneficia speranda, aliasque calamitates timendas esse, et singulos itaque pro naturae diversitate aliis ritibus atque sacrificiis coli atque placari oportere. Nulla itaque discrimine coelum vel coeli princeps inter alia numina appellatur, (c. 3. in p. 160.) ejusdemque fragmenti auctor non raro narrat, impios reges eorumve amicos coelum, quinque elementa, et alias Deorum catervas sceleribus suis ad justam vindictam inflammasse. Inprimis vero illud memorabile est, imperantium quosdam se ipsos quidem coeli filios vocasse (Chu-



King p. 60.) et nihilo tamen minus sese uni alterive eorum, e quibus omnia constare putantur, elementorum in tutelam quasi tradidisse. Divinam vero coeli naturam propterea majoribus quam ceteros Deos honoribus profecuti sunt, quod existimarunt, coeli praesertim nutu atque necessitate res humanas administrari, maxime vero Regnorum stabilitatem atque conversiones ab illius mutationibus pendere. Si quid igitur novi vel praeter ordinem in coelo fieri animadverterent, omnium extemplo animi dejiciebantur, quod infaustis portentis numinis iram, atque imminentes calamitates significari timebant. Ipsi vero reges eorumque ministri ab omni tempore nullis aliis prodigiis magis quam solis et lunae defectibus territi sunt et adhuc terrentur. Hos enim tanquam futurarum cladum atque seditionum praenuntios in se ipsos inprimis immittere, bellaque nefanda et familiarum extinctiones minitari crediderunt. Cum his opinionibus atque superstitionibus plura divinandi genera Deorumque manium religiones optime congruunt, quas inter antiquissimos Sinas obtinuisse libri saepius citati auctor locuples testis est. tis



tis enim locis tradit, regem, qui inter primos gentis illius principes maxime sapientiae fama floruit et adhuc floret, sortes consuluisse, (p. 27. 170. 171.) eodemque viro regnante defunctorum animas ceterorum numinum instar precibus et sacrificiis placatas esse. (vide et. de Guig. T. XXXVIII. Mem. de l'Acad. des Insc. p. 289.) Hunc morem et insitam quasi vano populo futura cognoscendi cupiditatem non satis ponderarunt Sinensium patroni, cum ipsis verum Dei cultum tribuerent, cum quo ejusmodi portenta nullo modo constare posse facile intelligitur.

Ab his vero erroribus et superstitionibus tantum abest, ut cives suos revocaverit Confucius, ut eorum potius animos in iisdem confirmarit, et novis atque pejoribus repleverit. Toto enim coelo aberrant, quicumque Sinensium et Jesuitarum laudibus in hunc virum ad invidiam usque cumulatis abrepti sola ipsum vera sapientia in coelum ascendisse arbitrati sunt. Ipsi Sinensium scriptores fatentur, illum nihil unquam de divina natura, de animorum post mortem statu, deque aliis similibus rebus disputasse.



putasse. (Longobard. l. c. p. 191. De Guignes. T. XXXVIII. 275.) Idem porro narrant, Confucium multa ad tuenda Deorum manium jura et sacra dixisse, veteremque divinandi rationem non tantum auctoritate sua confirmasse, verum etiam commentariis suis, qui in Sinarum Y-King continentur, in artis formam redegisse. Nihil dicam de ineptiis istis, quas Sinensium annales (Histoire generale Vol. II. 212. 220. 412.) de hoc viro tanquam stupenda miracula narrant: hoc vero silentio transire non possum, illum nihil prorsus ad impugnandam vel exterminandam impiam religionem paulo ante tempora sua invecam contulisse, in Chu-King vero ab ipso compilato omnis generis prodigia atque ostenta ita narrasse, ut eum cum indocta Sinensium multitudine infanuisse cuivis appareat, (vide in p. Chu-King p. 173.)

Quae cum ita se habeant; statuamus necesse est, Confucium ob longe alia merita, quam plerumque creditur, in Sinensium templis medio inter Lao-Kuin et Foe loco collocatum, magnumque universi populi legislatorem appellatum



tum esse. Ego quidem hanc dudum sententiam tenui, Confucium propterea a sequentium aetatum hominibus in Deorum numero habitum esse, quod vanae simul et superstitiosae gentis antiquas fabulas sive *Λογος* in aridis atque insulis operibus, quae Tchun - sieou et Chu-King inscripsit, collegisset, unaque divinam, uti ipsius cives semper judicarunt, e fortibus futura conjiciendi artem amplificasset *). Postquam vero Confucius immortalem gloriam et divinos honores adeptus erat, idem ipsi accidit, quod Orpheo, Zoroastri, Hermeti aliisque antiquis viris accidisse novimus, ut plurimorum nempe, qui multis post illum saeculis floruerunt, hominum laudes et merita in unum illum transfunderentur, utiliumque doctrinarum in-

K 5

ven-

*) Negant quidem Ko (Memoires sur les Chinois f. 3.) et de Guignes (p. 171.) Confucium illorum commentariorum, qui Fohi Kua adjungi solent, auctorem esse. Du Halde contra (l. f. c.) et Visdelou (vid. Chu-King a de Guig. edit. p. 404.) aliique statuunt, eos ex Confucii officina prodiisse, proptereaque etiam in summa apud Sinas veneratione esse. Ipse, saltem Confucius (in Chu-K. p. 213. alibique) de fortibus consulendis sine ulla reprehensione loquitur.



ventores et professores sponte ipsius nomine uterentur, quo libris suis auctoritatem conciliarent, suaque omnia ex hoc veritatis fonte hausta esse popularibus suis persuaderent. Inprimis vero antiquiores moralis disciplinae auctores, quive de virtute deque bono et malo non eleganter quidem sed istorum tamen hominum ingeniis convenienter differuerunt, ad Confucii nomen sese applicuerunt, atque ipsius discipuli sapientiaeque heredes videri voluerunt. Inter hos viros plures inventi sunt, qui Confucium praeceptorum copia atque utilitate longe superarunt: neque tamen ullus exstitit, qui ipsius famam aequare, et tantam apud omnes ordines auctoritatem consequi potuerit: quod mea quidem opinione certo indicio est, Confucium non sapientiae doctrinis, sed fraudulentae inprimis artis praestigiis immortalitatem meruisse. Quis denique vir Confucius fuerit, ex eo quoque conjici potest, quod ipsius posterum domesticam divinandi artem exercendo summis ad nostra usque tempora honoribus fruantur, omniumque rerum copia circumfluant.



Hoc meum de Confucio iudicium majore adhuc probabilitatis specie lectorum animos percussurum esse confido, si tempora, quibus virum hunc floruisse Sinenfes tradunt, cogitare velint. Ea nempe tempestate vixit Sinenfium doctor, qua illorum terrae inter innumeros regulos distractae erant, qui perpetua inter se bella gerentes omnia rapinis atque incendiis devastabant. Horum audaciam atque impotentem dominatum fregit tandem magni animi atque ingenii vir, Chi-hoang-ti, quem tertio ante Christum natum saeculo universos Sinicarum regionum tyrannos imperio suo subjecisse, ob eamque causam injustis omnium gentis suae scriptorum execrationibus oneratum esse omnes sciunt. Postquam vero hujus nunquam satis laudandi regis virtute disiecta populi membra in unum corpus collecta, et immensi regni partes vel potius ruinae in solidum quoddam imperii aedificium coagmentatae essent; tum demum pax pacisque artes inter efferatam gentem reverti, et litterarum etiam lumen post multorum saeculorum tenebras illucescere coepit. Ex ipsis enim Sinenfium Annalium monumentis nos docet
cla-



clarissimus de Guignes (T. XXVI. Mem. de l'Academie des Insc. p. 802.) hoc Chi-hoangti regnante duodeviginti Indorum Sacerdotes ad Sinarum terras penetrasse, huicque genti religiones suas, quodque non minus probabile est, litteras etiam tradidisse. Illud saltem dubitationem non habet, non longe post saepius laudati regis mortem, quum Sinensium imperium ad aliam regnantem familiam transisset, inter Baetrianae Scythis tum temporis subiectae principes et suos reges foedera facta mutuaque inter utramque gentem commercia instituta fuisse, (de Guignes Mem. de l'Ac. des Insc. T. XXV. p. 17. et Gaubil. Hist. de l'Ast. Chin. I. 118-134. nec non Bayer l. c. 139.) Narrant porro Sinensium Scriptores, altero ante Christum natum saeculo externorum hominum catervas, quibus sequentibus aetatibus nova semper agmina successerint, in terras suas immigrasse, et sideralem scientiam antea ipsis incognitam secum attulisse. Iidem denique fatentur, circa eadem fere tempora non solum fastos suos ordinatos esse, verum etiam primos annalium scriptores extitisse et omnium quasi ingenia exarsisse, ad priscorum librorum
 reli-



reliquias recuperandas et emendandas. Hac quoque aetate commentarios illos conscriptos esse puto, qui minorum King nomine proximo post sacros libros dignitatis gradu a Sinensibus collocantur, et Confucii discipulis vel posteris tribui solent. Multa enim doctioris saeculi et peregrinae sapientiae vestigia in iis deprehendi, quemvis judicare oportet, qui meliores de Coelo vel Coeli Praeside sententias in ipsis obvias, inprimis vero magnificas sapientis cujusdam et sancti viri e regione quadam Occidentem versus aliquando oriundi descriptiones diligenter ponderaverit. Nisi enim horum librorum auctores divinandi arte et futurarum rerum scientia praeditos fuisse cum superstitione Jesuitarum multitudine credere volumus; dicendum est, eos non ante illa tempora floruisse, quibus occidentalium populorum eruditio inter Sinas pervulgata erat.

Ipsa haec sapientis cujusdam et sancti viri crebra commemoratio sexagesimo quinto post Christum natum anno Sinensium regem, Mingti nomine, permovit, ut ad arcessendum vel
quae-



quaerendum illum in Indiam vel regiones Indiae vicinas Legatos mitteret, quorum hominum animi superstitione adeo occaecati fuerunt, ut eum in absurdae religionis auctore, quem Sinenfes Fo appellant, invenisse sibi viderentur. Magis vero singulare et paene incredibile est, Sinenfium regem et populum ea tempestate, qua meliores doctrinas primis saltem labris degustaverant, adeo deceptos fuisse, ut portentosa, quae Legatorum stupor ipsis asportabat, sacra maxima aviditate adoptarent. — Ex hoc unico Sinicae superstitionis et ignorantiae exemplo illud colligi posset, quod multis aliis scriptorum testimoniis declaratur, Sinenfes nempe nunquam se tanto ardore ad traditas ipsis externas litteras contulisse, quo Brachmanes, Arabes, aliarumque Asiaticarum gentium sacerdotes in illas incubuerunt. Quamvis enim Sinenfes sequentibus saeculis per longum temporis intervallum cum populis Orientem spectantibus conjuncti essent, multaque Christianorum, Judaeorum et Arabum millia in ipsorum urbibus sedes fixissent, (vide Scriptores Arab. a Renaudotio editos ejusque annotat.



p. 275.) eorum tamen omnium litteras et meliores de Deo doctrinas adeo sibi non vindicarunt, ut antiquis semper superstitionibus pertinaciter adhaerent, eoque vesaniae progresserentur, ut tres mortales homines valde inter se dissimiles in iisdem templis adorarent. Quin ipsi gentis hujus docti viri Graecorum, Arabum atque Indorum disciplinas vel prorsus capere non potuerunt, vel ita etiam depravarunt, ut illos in limine quasi veritatis vel primo ad sapientiam gradu constituisse dicendum sit. Non solum enim antiquiores Sinicae philosophiae investigatores, (Longobardi p. 252. 256. 260. l. f. c. et P. de St. Marie in To. II. Epist. Leibnizii a Kortholt editarum p. 197. 240.) verum etiam nostrae aetatis rerum Sinarum scriptores fatentur, maximam saltem eorum partem, quotquot pluribus abhinc saeculis de rerum omnium ortu atque natura disputaverint, vim et mentem divinam mundi effetricem penitus ignorasse *), et nescio cui necessitati

*) De Guignes alique nonnulla quidem auctorum loca proferunt, quae sententias divina majestate non



cessitati vel virtuti in rudi et indigesta materia quondam delitescenti, et omnis rationis experti universi generationem tribuisse. Ejusmodi vero scripta, in quibus nulla summi numinis et divinae providentiae mentio fit, non modo non prohibentur, verum etiam publica auctoritate approbantur, atque in omnibus scholis leguntur. Neque tamen propterea eorum auctores quique illos secuti sunt discipulos inter Atheos referendos esse censeo. Multo mihi probabilius videtur, Sinensium doctores, quos Longobardi aliique summae impietatis accusarunt, magis superstitiosos quam apertos numinis hostes fuisse. Hoc primum ex eo apparet, quod plures sive omnes potius scriptores narrant, doctorum etiam hominum ordines non solum patriorum numinum templa, verum etiam Diis manibus sacratas sedes eadem reverentia et pietate frequentare, qua reliqua Sinensium multitudo innumerabiles nativos et occidentes Deos ad-

non prorsus indignas continent. Ex adductis tamen testimoniis patet, hos scriptores ab ipsis Sinensibus non legi. Vide ipsum da Halde III. p. 50 etc.



adorare solet. Deinde non sine causa suspicor,
Sinensium quidem scriptoribus placuisse, mun-
dum vel sponte, vel insita quadam et coeca vi
ortum sive generatum esse, eosdem vero simul
statuisse, ex aeterna materia praeter hominum
et animantium genera astra quoque et Deos pro-
diisse, qui propter praestantem eorum naturam
precibus atque sacrificiis coli mereantur.



SECTIO SEXTA.

De antiquissimorum Graecorum religionibus, deque earum fabularum, quas hujus gentis Poetae vel excogitarunt, vel ornarunt, sensu et interpretatione.

Jam vero post longam neque valde jucundam peregrinationem ex ultimis orientis finibus ad nostrae continentis oras revertor, et primum quidem ad inclytæ quondam Graeciae littora appello. Hoc vero loco constitutus ipsa iterum rerum serie et ordine in medias graecarum fabularum sylvas et solitudines raptor, e quibus tandem feliciter emerso in florentiores et patentiores Philosophiae campos exspatiari, atque in ipsius Deae sacrarium audaci gressu penetrare mihi licebit.

Dum vero ad perplexas Graecorum fabulas multiplicesque religiones propius accedo, tot tam-
que



que diversa mihi sese ostendunt itinera, tot
bella porro Epicuri simulacris non dissimilia
somnia me circumvolitant, tot denique prisco-
rum et recentiorum temporum ingenia memet
in istas, quas sibi quisque aperuit, vias trahere
student, ut quem sequar, quosve relinquam,
vix ac ne vix quidem intelligere possim. Nul-
lis tamen illecebris a fida illa duce ac comite me
abstrahi patiar, ejus lateri haectenus adhaesi, cu-
jusque vestigia in posterum premens non pror-
sus despero, me vel ex tortuosis fabularum am-
bagibus, nec non ex artificiosis earum interpre-
tationum erroribus exitum inventurum esse.

Quicumque igitur non novo potius more
errare, quam verum vel verisimile invenire ma-
vult, illi omnibus antea praedjudicatis opinionibus
abjectis in id praesertim incumbendum esse
censeo, ut paucas e vetustissimis temporibus ad
nos propagatas auditiones sedulo colligat, et
cum priscorum et eruditissimorum Graeciae viro-
rum judiciis et testimoniis comparet. Quod
enim Plato simulata pietate de veteribus gentis
suae hominibus agebat, illis nempe tanquam



Deorum filiis et Diis quasi recentibus fidem habendam esse, licet eorum oratio idoneis argumentis non satis confirmata esset; id multo magis de primis historiarum scriptoribus et philosophis valere arbitror, quando de antiquorum Graecorum moribus et opinionibus quaeritur. Praeterquam enim quod magni illi viri clarissima ingenia cum rara et singulari prope diligentia copularunt; iidem quoque illa tempora proxime attigerunt, quibus prisci aevi fama nondum extincta, neque etiam fictis interpretationibus corrupta erat. Quoties igitur, Herodotum, Platonem et Aristotelem in explicandis majorum suorum religionibus vel veterum Poetarum fabulis consentire inveniam, toties nullus dubitabo, eorum potius fidem atque iudicia sequi, quam Stoicorum figmenta omnibus saepe fabulis incredibilia amplecti,

Sive igitur Platonem sive Herodotum audire volumus; certum est, vetustissimae Graecorum religionis longe aliam formam fuisse, quam illius, quae in Homero atque Hesiodo descripta est. Platone enim teste (vide ejus



Cratylum p. 52. Edit. Basil. Graec.) vetus Graecia eosdem, quos magna barbararum gentium multitudo Deos venerata est, Solem nempe et Lunam nec non terram et coelum huicque infixas sidera, a quorum perpetuis cursibus Θεῶν nomen ortum, atque ad alios postea Deos translatum esse Plato conjicit. Herodotus vero nullam quidem horum Deorum mentionem facit, ait tamen, Pelagos (II. 52.) antiquitus Diis generatim vota fecisse, eosque propterea Θεῶν appellasse, quod ab illis omnes res bene dispositas esse et adhuc administrari sibi persuaserint. Addit statim, prisco aevo singulis Diis nulla singula et propria nomina indita fuisse; Pelagos vero, postquam externorum Deorum nomina ex Aegypto in Graeciam inuenta esse audivissent, Jovem Dodonaeum consuluisse, Deorumque nomina a Barbaris profecta reciperent, an vero repudiarent, et tum demum illos annuente Deo peregrinas Deorum appellationes adoptasse. Illud silentio praetermittendum non est, Herodotum testari, sese hanc suam narrationem a Dodonaei Jovis sacerdotibus accepisse.



Constat enim, hos reliquorum templorum et oraculorum antistitum instar antiquas auditiones et alia salutaria inventa atque praecepta omnium diligentissime conservasse. Non omnia tamen Graecorum Deorum nomina ex Aegypto in Graeciam venisse putabat Herodotus: ipse enim primum Neptunum excipit, quem ex Lybia in Graeciam delatum esse censet, deinde Castoras, atque Polluceem, Junonem, Vestam, Themidem, Grantias atque Nereidas, quorum vocabula a Pelagis inventa ipsi videbantur. (II. 50. *)). Paucis interjectis narrare pergit, (II. 53. **) Graecos ante aliquot adhuc saecula ignorasse, unde unusquisque Deorum exstiterit, an cuncti semper fuerint, et quae cuique forma peculiaris sit, Homerum quippe

*) Deorum Graeciae nominum origines ingeniose explicatas invenies apud auctorem libri: sur le culte des dieux fetiches. p. 159.

**) Ενθεν δε εγενετο εκασος των θεων, ειτε δ' αει ησαν παντες, ομοιοι τε τιμες τα εινεα, ηκ ηπισεατο μιχρι ε πριν τε και χθες, ως ειπιν λογω. Ησιουδου δε και Ομηρον ηλικιην τετρακοσιοισι ετεσι δοκωμεν πρεσβυτερης γενεσθαι και η πλεοσι. Ουτοι δε ειπιν οι ποιησαντες θεογονιην ελλησι, και τοισι θεοισι τας επωνυμιας δοντες, και τιμας τε και τεχνας διελοντες, και εινεα αυτων εημενηατες.



quippe et Hesiodum, quos quadringentis annis aetatem suam superasse autumat, Theogoniarum auctores fuisse, Diisque universis non solum cognomina sua et dignitatis gradus, verum etiam formas, artificia sive officia assignasse.

Quamvis vero Herodotus antiquorum, quos Pelasgi quondam coluerint, Deorum naturam non accurate describat; mediocriter tamen doctus aliunde facile invenire, atque conjicere potest, quales illi fuerint. Nullum enim fere dubium habet, priscum et simplex hominum genus praeter coelestia corpora, informes lapides, rudia ligna et excelsas arbores, (v. auctorem libri sur le culte des Dieux fetiches p. 151. et de Gualco sur l'usage des Statues p. 47 etc.) denique ventos et sacra animalia adorasse. Ipse Herodotus testatur, delphos seriori aetate ventis sacrificasse VIII. 41. Athenienses verum sacrum quendam serpentem in arce sua custoditum pro ipsius Minervae numine coluisse. Quum igitur veteres Pelasgi ejusmodi Deos venerarentur, idem ipsis accidit, quod in omnibus fere Africae populis locum habere scimus, ut praeter univer-



sam Deorum appellationem nulla propria nomina ad quemvis Deum significandum invenirent.

Quodsi eundem scriptorem porro sequi volumus; Graecorum majores non solum exteriorum numinum barbara nomina, verum etiam illorum figuras et sacra adoptarunt. Ait nimirum, Melampum omnium primum tum Bacchi nomen et Orgia, tum Phalli etiam pompam multasque alias res ad religionem pertinentes ex Aegypto advexisse et Graecos docuisse. (c. 49. 52. II.) Neque tamen existimandum est, veteris Graeciae incolas adeo superstitiosos peregrinorum hominum sectatores fuisse, ut nihil in sacris ab ipsis acceptis innovare ausi sint. Unum tantum exemplum adducam, e quo patet, Pelasgos doctores suos interdum reliquisse. Fecerunt nempe Hermetem sive Mercurium erecto veretro, quae forma ab Aegyptiorum more vehementer abhorrebat. (II. 51. Herod.) Ex hoc vero testimonio nec non ex Bacchi Orgiorum, uti illa in Aegypto atque Graecia celebrabantur, similitudine illud recte concludi arbitror, Pelasgos a Barbaris edoctos tam novis quam antiquis



Diis eandem figuram, humanam nempe tribuisse, qua Phoeniceos atque Aegyptios tum temporis numina sua induisse demonstratum est *).

Nisi igitur Herodoti narrationem rejicere volumus; pronunciandum est, Pelasgos longe ante Homeri tempora Deos humana figura praeditos et utriusque sexus participes, nec non eorum conjugia atque progeniem cognovisse, haecque omnia vel a Barbaris accepta vel sponte ab ipsis inventa esse. Fatendum porro est, Homerum atque Hesiodum omnium primos Deorum ortus atque cognomina, tum eorundem artificia, ministeria et formarum proprietates excogitasse et recinisse. Adsentiamur itaque necesse est Cottae apud Ciceronem judicanti, (III. 24. de Nat. Deor.) magnam quidem sed minime necessariam molestiam suscepisse primum Zenonem, post Clean-

L 5

them

*) Consulant harum rerum curiosi paulo ante a me citatum doctum virum, qui statuarum origines, progressus et varios usus explicavit. Hic enim veterum scriptorum loca collegit, e quibus patet, Cadmum, Melampi aequalem, (II. 52. Her.) aliosque statuas in humanam formam effictas in Graeciam attulisse.



them, deinde Chrysippum, dum priscarum religionum et commenticiarum fabularum reddere rationem, et vocabulorum, cur quaeque numina ita appellata sint, causas explicare conati sint. Illud scilicet sibi persuasum habuerunt Stoicorum principes, (II. de Nat. Deor. 28.) a physicis rebus bene atque utiliter inventis ad fictos Deos rationem tractam esse, et falsas inde opiniones, erroresque turbulentos, et superstitiones paene aniles extitisse. Hinc Deorum formas, aetates, ornatus atque vestitus natos esse: genera paeterea, conjugia, cognationes, omniaque traducta ad similitudinem humanae imbecillitatis. Quin eo usque progressos esse Homerum ceterosque Poetas, ut perturbatis animis Deos induxerint, Deorumque cupiditates, aegritudines, iracundias, nec non bella et proelia cecinerint. Ut igitur poetarum flagitiis corruptam majorum religionem in pristinam dignitatem et castitatem restituerent; Deorum nomina, ut veterum Theologorum fabulas, ita interpretati sunt, tanquam earum auctores non inelegantes physicas rationes in illis inclusissent. Elect vero negare non auderent, in Graecorum



rum Deorum numero quosdam mortales homines inveniri, qui ob ingentia facta divinos honores consecuti essent; hoc tamen omni studio vincere satagebant, sub plurimorum Deorum nominibus naturales quasdam vires atque virtutes per rerum universitatem diffusas vel magnas etiam mundi partes antiquitus consecratas esse (II. 23. de Deor. Nat. Cic.) Hanc perversam rationem sequentes et maxime ridiculis et flagitiosis Graecorum Deorum factis coelestium corporum aliarumve rerum vicissitudines et qualitates effingebant, et exsecutum itaque coelum, vel Saturnum a filio vincum aliaque monstra ita definebant, ut qui ista somniaverant, non modo non insani, sed etiam sapientes fuisse viderentur. Haec Stoicorum figmenta singulari Carneadis acumine et amaris salibus exagitata, summo tamen postea ardore amplexus est Plutarchus, eorum ceteroquin decretis plus justo infestior, post Plutarchum vero Plotinus, Porphyrius, eorumque sectatores, qui non solum in Graecorum, verum etiam in barbararum gentium religiones meliores sensus inferre studuerunt. (vide imprimis Porphyrii Fragmenta ap. Euseb. in Praep. Evang.



Evang. II. 6-11. c. et totum Jamblichi de Myſte-
 riis Aegyptiorum opus.) Stoicorum tamen ſen-
 tentiam nemo meo quidem iudicio ingenioſius im-
 mutavit, leviterque inflexam elegantius ornavit,
 quam excellentiſſimi ingenii atque doctrinae vir
 C G Heyne in erudita illa commentatione,
 quae in octavo commentariorum ſocietatis ſcien-
 tiarum Göttingenſis Tomo legitur. Opinatur
 nempe vir ſummus, ante Homerum antiquiores
 Poetas fuiſſe, qui de rerum initiis quaerendi ſtu-
 dium vel a Phoeniciis vel etiam ab Aegyptiis acce-
 perint; hos porro tam verborum inopia quam
 ingenti res ipſas ſub oculis ſubjiciendi impetu
 coeleſtia corpora et virtutes naturales in perſo-
 nas tranſmutaſſe, earumque origines, proprie-
 tates, mixturas ſive conflictus Deorum connubiis,
 proeliis rebusque geſtis adumbraſſe. His tandem
 ſuperveſſe Homerum, cujus artificii poetici ſum-
 ma laus in eo contineatur, quod ex vetuſtioribus
 Cosmogoniis fabulas, phyſicis rebus et rationi-
 bus declarandis excogitatas, in epicam narratio-
 nem adſciverit, easque tanquam vere geſtas et
 ab ultima hominum memoria repetitas perfecutus ſit.



Licet vero haec argumentatio, et subtilis, quam auctor ipsi adjunxit, fabularum explicatio non vulgari verisimilitudine sese commendet; multae tamen me impediunt causae, quo minus illam pro vera accipere possim. Et primum quidem illud concedi nequit, Deorum nomina atque personas a priscis cosmogoniarum auctoribus fictas esse, ut rerum naturas atque proprietates eo illustrius atque rudium hominum ingenii accomodatius exprimerent. Herodotus enim expresse testatur, maximam Graecorum Deorum partem eorumque nomina ex Aegypto in Graeciam asportata, quaedam vero ab ipsis Pelasgis longe ante Homeri tempora excogitata fuisse. — Idem porro gravissimus scriptor judicat, Homerum atque Hesiodum omnium *primos* Deorum ortus, honores, et ministeria descripsisse, et illud etiam addit, omnes reliquos poetas, quos communis opinio ultra eorum aetatem ponat, vatibus his inferiores esse. Nisi igitur Herodotum erroris convincere, vel certius aliquid afferre possumus; tenendum est, ante Homerum atque Hesiodum nullos vetustiores poetas extitisse, qui ea, quae illis tanquam propria



tribuuntur, carminibus suis exposuerint. —
 Alia vero ratio, quare amicissimi viri sententiam
 probare non possum, haec est, quod inter sum-
 mos et antiquissimos Graeciae viros nemo ex-
 stitit, qui Homerum atque Hesiodum prae-
 fabulas bene et utiliter inventas, ita uti Heynio
 videtur, detorsisse vel potius depravasse judica-
 verit. Omnes quidem Homerum atque Hesiodum
 severissime castigarunt, quod Deorum discor-
 dias, bella et vulnera, praeterea querelas, la-
 mentationes, effusas in omni intemperantia libi-
 dines, adulteria, vincula, cum humano genere
 concubitus, ortus denique et interitus effinxer-
 rint: (vide notissimos Xenophanis versus in
 Steph. Poesi philosophica, porro Platonem
 Lib. II. de Repub. p. 104. 164. 166. Lib. III,
 170. 172. Edit. Massey. Isocrat. in Busiridis
 Elogio Vol. II. p. VII. Ed. Beatt. Aristotel.
 I. mox cit. Cic. I. jam c. et de N. Deor. I. c. II.)
 horum tamen nemini in mentem venit, anti-
 quiores Poetas meliora de divinis naturis sen-
 sisse, Homerum vero atque Hesiodum antiquam
 sapientiam deturpasse. Non immerito igitur
 ex horum virorum atque Herodoti silentio illud
 mihi



mibi concludere videor, ne levissimam quidem suspicionem vel famam de priscis illis cosmogoniis, et reconditori fabularum sensu ad illorum tempora durasse. Huic gravi antiquiorum scriptorum silentio luculentum Aristotelis testimonium accedit *), quo doctissimus pariter et acutissimus philosophus judicat, priscos poetas neque Coelum et Noctem, neque etiam Chaos atque Oceanum, sed Jovem omnium rerum principem existimasse, atque hoc sibi persuasum habuisse, Deorum imperia non minus quam hominum regna mutationibus atque conversionibus obnoxia esse. — Quos porro vel Graecorum vel aliarum gentium vetustos Poetas nominare possumus, qui res naturales, earumque qualitates Deorum personis et rebus gestis ita adumbraverint, uti vates Homero superiores fecisse putantur. Mibi saltem neque

*) Vid. ejus Metaph. Lib. N. c. S. p. 246. Ed. Sylb. Gr. οἱ δὲ ποιηταὶ οἱ ἀρχαῖοι ταυτῆ ἰμοίως ἢ βασιλευεῖν καὶ ἀρχεῖν φασὶν ἔ τῆς πρῶτης, οἷον νυκτᾶ καὶ ἑρᾶνον ἢ χάος. ἢ καὶ ἀνεραν, ἀλλὰ τοῦ Δία. ἔ μὴν ἀλλὰ τέτοις μὲν Δία το μεταβαλλεῖν τῆς ἀρχοντάς, συμβαίνει τοιαυτὰ λεγεῖν.



neque in aliorum populorum antiquitatibus, neque in veterum Graeciae poetarum et philosophorum fragmentis ejusmodi fingendi et docendi rationis vestigia deprehendere contigit. Nihil contra credibilius et aegrestium hominum ignorantiae et sentiendi modo convenientius est, quam Deos hominibus similes cogitare, qui mortalium instar cibo et potu sese ingurgitent, obscœnis voluptatibus fruuntur, inimicitias et bella exercent, vulnera denique et mortem patiantur, sive ab illo saltem dignitatis gradu, quo antea constituti erant, aliorum vel vi vel insidiis dejiciantur. Ad has opiniones omnes fere populi septentrionem versus, Aegyptii porro et Phoenices, postremo Chaldaei et Sinae sponte et natura quasi duce pervenerant; Herodoti vero testimonium dubitare nos non finit, Pelagos easdem persuasiones a Phoenicibus atque Aegyptiis una cum Deorum nominibus et signis accepisse.

Ipsa porro fictorum Deorum in veras hominibus similes divinas naturas conversio inexsuperabilibus mihi difficultatibus premi videtur:

sive



sive cosmogonias; quarum commenticias personas Homerus transfigurasse dicitur, omnibus notas fuisse, sive in arcanis tantum sacris cani solitas esse opinamur. Si primum ponis; affirmandum est, Homerum immani audacia ingentem novorum Deorum turbam, eorumque facta ac res gestas haecenus incognitas popularibus suis obtrudere conatum esse. Quodsi contra verisimilius putamus, antiqua illa carmina, in quibus res naturales earumque virtutes sub fictarum personarum appellationibus adumbrabantur, ante Homerum publice decantata atque a multitudine intellecta fuisse, statuamus necesse est, priscos Graecos incredibili prorsus lapsu a verae sapientiae initiis et naturae cognitione ad pueriles pariter et foedas ineptias descivisse, dum sanioribus antea doctrinis adsueta portentosas Homeri fabulas in publicas religiones reciperent. Illudne etiam probabile est, hujus tantae popularium opinionum immutationis ne levissimum quidem vestigium inter Graecos remansisse, quum illustrium familiarum successiones, populorum migrationes, et clarorum denique virorum nomina et res gestas ab ultima antiquitate non quidem



libris, sed memoria tamen et carminibus conser-
 varint, quae postea ab Herodoto, Thucydide
 aliisque, annalium monumentis condita sunt. Il-
 lud quidem non nego, et nemo facile negabit, Ho-
 merum unicuique Deorum multa facinora affixe-
 xisse, de quibus Graeci ante eum nihil cognove-
 rant; plane vero improbabile est, illum divinas na-
 turas Graecis prorsus inauditas sponte finxisse, Nu-
 minibusque ullum factorum vel flagitiorum genus
 tribuisse, quorum similia non a sui temporis homi-
 nibus credita fuerint. Quod si vero Poetarum
 summus in describendis religionibus unquam
 nova quaedam et haecenus intentata ausus, et
 popularium opinionum limites transgressus est;
 illud in istis praesertim locis factum esse suspi-
 cor, ubi Deos suos auditoribus vel lectoribus
 quasi deridendos propinat, atque histrioniam
 facere cogit. Quoties igitur ea loca relego, qui-
 bus Vulcanum ridicule claudicantem, ceterisque
 Diis inveniatis suis leporibus risum moventem
 inducit, vel etiam in eos versus incido, ubi
 Somnus non jocosè minus quam miserabiliter
 Jovis iram suosque casus deplorat, vel Ne-
 ptunus denique Apollini operam Laomedontis
 quon-



quondam ab ipsis navatam, nec non ignominiam ab hoc rege ipsis inflictam in memoriam revocat; toties non possum non in eam opinionem relabi, Homerum risui interdum non satis temperare potuisse, Deosque, quos ipse aspernabatur, vel inscium vel consulto aliorum ludibriis et cavillationibus objicere voluisse.

Postremo illud praetermittere non possum, tantam Cosmogoniarum vim, quantam ante Homerum existisse illustris Heynius conjicit, tam curiosam porro naturae investigationem et miram denique subtiles rerum cognitiones fabulis involvendi solertiam prisco illo aevō non satis consentanea videri. Quodsi enim haec omnia ante Homerum locum habuissent; nunquam ipse ausus esset, adeo impia atque absurda de Diis tradere, qualia illum cecinisse notum est. Sine dubio etiam in viri hujus, doctrinae suae ostentatoris, operibus plura et expressiora veteris istius philosophiae vestigia exstarent, quam in illis deprehenduntur. Antequam enim Homerus pro omnium disciplinarum et doctrinarum inventore



inter Graecos haberetur; maxima gentis hujus ingenia in utroque ipsius carmine nihil unquam, quod ad rerum origines illustrandas faceret, suspicati sunt, iis locis exceptis, ubi *ωκεανον τε θεων γενεσιν και μητερα τηθυν* memorat. Ob hanc vocem Plato unico tantum loco Homerum iis annumeravit, qui omnia fluere, et perpetuo mutari existimarunt. Quod vero Plato hoc loco sub Socratis persona serio locutus non sit, primum ex tota orationis forma atque colore apparet, deinde illinc etiam intelligitur, quod aliis locis, ubi eandem sententiam impugnat, Homeri nunquam mentionem facit.

Hunc praesertim tamen Platonis locum Aristoteles in mente habuisse videtur, dum existisse quosdam scriberet, qui pervetustos et primos omnium Theologos (*της πρωτης θεολογησαντας*) aquam omnium rerum causam fecisse opinati sint, quod Oceanum atque Tethidem generationis auctores, ceterosque Deos per Stygis undas jurantes induxerint, Met. I. 3.



p. 8. *Ed. Sylb. Gr. **). Ipse vero Aristoteles dubitat, an haec vera veterum Theologorum sententia fuerit, et ne dubitasset quidem, si isti versus ipsi in memoriam recurrissent, quibus Homerus Oceanum quoque in reliquorum Deorum Jovi servientium turbam conjicit, eumque Jovis iram et fulmina timere testatur. Post Platonis vero et Aristotelis aetatem Graeci Homerum sese non digne satis admirari existimarunt, nisi omnium disciplinarum elementa in ipsius operibus recondita esse defenderent. Arripuerunt igitur perplexam quamvis et ambiguum fabulam atque sententiam, ut nullam non memorabilem doctrinam posterioribus temporibus inventam inde exsculperent, atque Homero vindicarent. Hac nimia atque absurda Homeri

M 3

admi-

*) Εἰσι δὲ τινες οἱ καὶ τὰς παμπάλαια καὶ πολὺ πρὸ τῆς νῦν γενέσεως καὶ πρώτης θεολογησάντας, ἕως οἰοῦνται περὶ τῆς φύσεως διαλαβεῖν. Ὀκεανὸν τε γὰρ καὶ μητέρα τῆδ' ἔποιησαν τῆς γενέσεως πατρὸς, καὶ τὸν ὄρκον τῶν θεῶν ὕδαρ, τὴν καλεσμένην ὑπ' αὐτῶν συγγὰ τῶν ποιητῶν. Τιμιώτατον γὰρ τὸ πρεσβυτάτον. ὄρκος δὲ τὸ τιμιώτατον ἐστίν. Εἰ μὲν ἔν' ἀρχαία τίς αὐτῆ καὶ παλαιὰ τετυχῆκεν ἔσα περὶ τῆς φύσεως ἢ δοξά, ἀδηλὸν ἀν εἶη.



admiratione summa etiam ingenia sese abripi passi sunt, atque inter haec etiam Sextus, quo doctiorem atque acutiorem virum universa vix antiquitas tulit. Hic Pyrrhonis sectator non solum praecipua moralis Epicuri disciplinae capita in Homero deprehendisse sibi videbatur, (Lib. I. adv. Grammat. 273. 284) verum etiam (Lib. IX. ad. Math. 5.) fabulam de Proteo et Eidothea, quam Plato tanquam perniciosam et impiam reprehenderat, ita interpretatus est, quasi Poeta Protei persona efficientem causam, Eidothecae vero materiam, quae illi se praebere, adumbrasset. Quum igitur tantus vir in explicandis Homeri figmentis adeo deliraverit; quid tandem mirum est, alios ipsi ingenio longe inferiores in Homeri Jove omnium rerum parentem atque rectorem invenisse? Non cogitabat hoc hominum genus, splendidis sine dubio Jovis cognominibus excoecatum, Homerum saepius (Lib. XIII. XIV.) somnum quoque *παντων τε θεων παντων τε ανθρωπων αναντα*, et noctem *δμητηραν θεων* nominasse. Neque etiam hoc ipsis in mentem veniebat, quod idem



idem Homerus cecinerat, Jovem tam a Neptuno et Junone, quam a Somno infidiis quondam circumventum fuisse, eumque non sua ipsius virtute, sed Briarei tantum atque Thetidis praesidio illud periculum evasisse, in quod ceterorum Deorum conjuratione conjectus fuerat.

Jam vero ad Hesiodum venio, quem non minus, quam Homerum interpretum equuleis impositum fuisse, cuivis in hisce litteris non plane peregrino notum est. Ego tamen in praesenti omnes fabulas, quae ipsi cum Homero communes, Homericisve similes sunt, omittam, ipsiusque tantum Chaos, quaeque ex Chao genita esse ait, paucis attingam.

In eo igitur Hesiodus ab Homero inprimis discedit, quod non Deorum tantum, verum magnarum etiam totius universi partium ortus explicare studet, quum Homerus ultra Jovem atque Cronum nunquam progressus sit. Totius vero ipsius orationis habitus et narrandi ratio ita comparata est, ut facile appareat, ejusmodi quaestiones et disputationes tum temporis recen-



tes quasi natas esse. Quodsi enim longe ante Hesiodi aetatem de his rebus quaesitum esset: ipse neque ita praepostere popularium et fabulorum Deorum ortus rerum naturalium earumque originum explicationibus immiscuisset, neque porro hasce tam perverso ordine natas esse cecinisset, neque denique tanta celcritate e brevissima Cosmogoniae tenebris in Theogoniae melius elaboratae lucem properasset. Quam vero naturam, quemve naturae statum Hesiodus sub Chao suo intellexerit, Graccorum doctissimi vel cum Epicuri Praeceptore ignorarunt, (vide Sext. adv. Mathematicos X. 19.) vel diversis etiam rationibus explicarunt. Aristoteles Hesiodum Chaos per *τοπov* interpretandum esse, atque Poetam hoc vocabulo inane spatium omnibus corporibus vacuum intellexisse arbitratus est (de dogm. Xenoph. c. 2. Aufc. Phys. IV. 1. Sext. advers. Mathem. X. sect. II. et ipsum Hesiod. v. 814.) Alii vero conjiciebant, Hesiodum eadem voce vel aquam, vel rerum omnium confusionem et permixtionem designasse. Quaecunque vero Poetae mens fuerit: certum mihi videtur, Aristotelem illius sententiam de rerum e Chao genita-



nitaram optime exposuisse illo loco, ubi (de Coelo III. 2. *) Hesiodum iis annumerat; qui nihil quidem earum rerum, quae sint, ab omni aeternitate extitisse, sed omnes natas esse voluerint, harum vero rursus rerum quasdam immortales permanfuras, alias vero interituras esse dixerint. Idem acerrimus antiquitatis scrutator Hesiodum vehementer quidem, nec immerito tamen reprehendit, (Metaph. Lib. β . cap. δ . p. 42.) quod illas tantum naturas, quae Nectare atque Ambrosia fruuntur, immortales, ceteras vero hoc victu carentes fluxas atque caducas existimaverit. Neque igitur Aristoteles, neque Plato, neque ullus alius antiquus scriptor ex Hesiodi Cosmogonia causam quandam mente ac ratione praeditam exsculpsit: sed omnes potius Hesiodo, quod multis populis, placuisse iudicant, terram nempe et sidera, praetereaque Deos omnes vel ex perturbata quadam et rudi

M 5

mate-

*) Εἰσι γὰρ τινες, οἱ φασιν εἶδέν ἀγεννητόν εἶναι τῶν πραγμάτων, ἀλλὰ πάντα γιγνέσθαι. γενόμενα δὲ τὰ μὲν ἀφθάρτα διαμένειν, τὰ δὲ πάλιν φθίρεισθαι. μαλιστα μὲν οἱ περὶ τοῦ Ἡσίοδου.



materia, vel ex alio quodam elemento sponte sive fortuna nata esse *).

Alium tamen Aristotelis locum praetermittere non possum, quo honorificentius de Hesiodo sentire videtur. Postquam nempe Anaxagoram omnium primum de mente quadam, rerum omnium effectrice, locutum esse docuerat; addit, (Met. I. c. 4.) facile quem in illam suspicionem adduci posse, annon Hesiodus, vel si quis alius, uti Parmenides, Amorem sive cupidinem rerum causam atque principium posuerit, ejusmodi praestantissimam intelligentiam quaesiverit **). Hunc enim forsitan sub Amore, quem ceteris Diis excellere, omniumque primum natum esse dixerit, vim quandam mundum moventem et continentem cogitasse. Totum vero locum ita concludit: *ἄριστος ἐν πῶς χεῖρα*
δια-

*) Consule in p. Hes. opera et dies v. 108.

ὡς ὁμοῦν γεγάσι θεοὶ θυγατρὶ ἀνδραποῖ.

et v. 108. Theog.

εἰπατε δ' ὡς τὰ πρῶτα θεοὶ καὶ γαίᾳ γενοντο.

**) Memoria itaque lapsus est Sextus Emp. IX. 7. dum Aristotelem affirmasse ait, Hesiodum atque Parmenidem cum Anaxagora eadem sensisse.



διανεμῶν περὶ τῶν τῶν πρῶτος, ἐξέτι κρη-
νειν ὕστερον. Hac vero de re omnibus iis
locis decrevit, ubi doctrinam de uno omnium
conditore Anaxagorae vel Hermotimo tribuit,
neque ullam Hesiodi vel Parmenidis mentionem
facit. Dubitari itaque non potest, Aristotelem
Ascracum senem ab iis sejunctis, qui duas re-
rum omnium causas esse statuerunt.

Post Homerum atque Hesiodum Orphei
in primis scripta, res gestae, atque opiniones
considerandae veniunt: quippe quem veri Dei
cognitionem Graecis tradidisse multi tam anti-
quiorum quam recentiorum auctorum credide-
runt. In hac vero disputatione eadem ratione
procedam, qua me hactenus non sine utilitate
usum esse spero. Quanta igitur possum dili-
gentia vetustissimorum hominum de Orphea
ejusque scriptis testimonia atque judicia conquiram,
atque ex his potissimum fabulosi viri merita
ita aestimabo, ut vera vel verisimilia a fictis
et commenticiis facile separari queant.



Licet vero Aristotelis auctoritati tantum, quantum vix ullius mortalis iudicio tribuam, multa tamen antiquissimorum et summorum virorum testimonia me cogunt, hoc loco ipsius quasi partes relinquere, idque affirmare, quod ipse negasse dicitur (Cic. de Nat. Deor. I. 38.): Vatem nimirum quendam Orphei nomine olim extitisse. Nunquam tamen hoc mihi persuaderi patiar, Orphea tot tamque illustres res inter Graecos gessisse, tot praeterea egregias disciplinas instituisse, tam praeclaras denique doctrinas tradidisse, quales ipsi plerumque tribui solent. *) Falso plerumque creditur, Orphea Mysteriorum atque arcanarum Religionum primum inter Graecos auctorem fuisse, quem errorem Herodotus refellit, locis supra adductis testans, antiquissima Samothracum mysteria a Pelagis condita, Bacchi vero

*) Sine ullo quoque fide digni auctoris vel testimonio vel iudicio statuerunt recentiores viri hujus dignitatis patroni, illum ante Homeri atque Hesiodi tempora floruisse. Herodotus contra Juculentis verbis declarat, (II. 52.) omnes Poetas, qui Homerum atque Hesiodum antecessisse credantur, ipsis inferiores esse. Hoc loco historicorum princeps sine dubio Orphea, Musaeum aliosque respexit, quorum fabulosa antiquitas sua quoque aetate celebrabatur.



vero Orgia a Melampo in Graeciam allata esse. Cum his Herodoti locis Euripidis (in Rheso 943. Hippol. 952.) Aristophanis (in Ranis 1064.) Diodori (I. p. 107.) Pausaniae (in Boeot. p. 304.) Ciceronis (III. de Nat. Deor. 23.) et Platonis statim citanda testimonia facile conciliari possunt. Herodotus enim illud tantum affirmat, Melampum primum fuisse, qui Bacchica sacra Graecis ostenderit, neque tamen negat, alios post Melampum vates Deorumque interpretes viri hujus exemplum secutos esse. Ipse potius qua erat superstitiosa fide adjicit, Melampum non omnia, quae ad haec arcana pertinerent, docuisse, et his igitur verbis confiteri videtur, ea insequentibus aetatibus ab aliis, quos non nominat, aucta fuisse. Licet vero hoc loco Orphei nomen reticeat, aliud tamen ipsius testimonium dubitare nos non finit, cum Orphea quoque Bacchi Orgiorum amplificatoribus annumerasse. II. 81. *). Post haec dicta nullis amplius verbis opus esse existimo ad eorum opinionem refellendam, qui

*) Hoc loco Herodotus innuere videtur, Orphica sacra singulare aliquod atque ab antiquioribus diversum orgiorum genus fuisse.



qui Orphea Graecos a foeda ac sylvestri vita revocasse, vel Musicae atque Poeticae artis principem inter Graecos fuisse somniiati sunt *).

Certum porro est, Euripidis (Alc. 968.) Isocratis (II. 172.) atque Platonis aetate (p. 54. 361. 362. ejus op. ex Edit. Bas. Graeca) Orphica quaedam carmina extitisse, e quibus Plato unum alterumve fragmentum libris suis inseruit (p. 54. et 174.) Ex hisce scriptoribus Euripides atque Isocrates ne levissimam quidem suspicionem aluisse videntur, carmina haec falsa atque supposititia esse. Plato vero, licet non omnibus locis iudicium suum expresserit, in secundo tamen de republica libro (p. 104. Edit. Maffey.) ita de illis loquitur, ut ea pro fictis ac adulterinis ab ipso habita esse appareat. In eadem sententia Aristoteles certe fuit, Herodotus vero propterea quoque fuisse videtur, quod nusquam Orphei carmina ob suavitatem a Platone laudata me.

*) Illud paucis moneo, jam Platonis aetate inter Graecos famam fuisse, Orphea non solum ad Inferos descendisse, verum etiam incolumem inde reversum, et postea a Threiciis feminis discerptum esse. (vide Plat. Operum p. 178. et 42a. Ed. Gr. Bas.)



memoravit. Nescio vero, qua primum aetate illa persuasio orta sit, quam non longe post aerae nostrae initium inter Christianae Religionis doctores invaluisse deprehendo, Orphica nempe carmina ab Onomacrito vel collecta vel, uti Sextus judicabat, ficta esse. (Hypotyp. Pyrrh. III. 30. adversus Mathem. IX. f. 361.) Minime profecto probabile est, Orphica carmina Herodoti atque Platonis aetate Onomacrito adscripta fuisse. Quod si enim uterque tale quid audivisset, vel credidisset, dubitari non potest, quin Plato, in primis vero Herodotus hanc fraudem eadem integritate memoraturus fuisset, qua Onomacritum Musaei oracula adulterasse, proptereaque ab Hipparcho ex urbe ejectum esse narravit. VII. 6.

Nisi vero omnia me fallunt, paulo antea citata Platonis verba significare videntur, illum Orphei carmina ab isto circulatorum genere, quod viri hujus nomine abutebatur, ficta esse credidisse. Sive vero illa ab Onomacrito, sive a falsis Orphei sectatoribus, sive etiam ab ipso Orpheo profecta esse statuere volumus; illud



illud extra omnem dubitationem positum est, Orphica carmina, quae Platonis aetate circumferebantur, longe ab istis fragmentis diversa fuisse, quae eodem titulo ad nos propagata sunt. Sequens enim narratio docebit, in prioribus istis ejusmodi flagitia de Diis, nec non multa errorum portenta de incantationum et secretarum religionum efficacia, deque animorum post mortem statu tradita fuisse, quorum nullum vestigium in iis deprehenditur, quae nostro tempore sub Orphei nomine venduntur.

Plato igitur omnes, qui Orphei sectam sequi ejusque sacra peragere videri volebant, tanquam callidos praestigiatores describit, qui Orphei atque Musaei *) carminibus ad circumveniendos cives suos turpissime abusi sint. Primum enim incantationum suarum tantam vim esse jactabant, ut earum ope non solum, quibus vellent, hominibus nocere, verum etiam ipsos Deos cogere, eosque votorum suorum ministros facere possint. Mysteriis vero atque sacrificiis
suis

*) Quos Lunae atque Musarum filios fuisse mentiebantur.



suis tantum tribuebant, ut omnibus, praeter maximorum flagitiorum veniam omnisque culpae liberationem, post mortem quoque summa virtutis praemia in beatis piarum animarum sedibus promitterent. Incredibile fere est, quod Plato (II. 102. Edit. Massey) addit, horum veteratorum tantam auctoritatem fuisse, ut non modo locupletium hominum multitudinem, verum etiam universas civitates deceperint. Tanta porro horum hominum improbitas atque insania erat, ut inefabilem illam voluptatem atque felicitatem, qua omnes ad arcana sua sacra admissos aliquando perfusum iri aiebant, in aeternis epulis et perpetua ebrietate collocarent: tam immanis denique eorundem impudentia, ut optimos atque de patria praeclare meritos viros profundis coenigurgitibus sepultum iri dicerent, nisi ante mortem arcanis suis ritibus et expiationibus ab omni vitiorum labe sese purgassent. — Eadem fere Plato de falsis his Orphei discipulis in decimo legum suarum libro §. 18. repetit, quo loco non sine justa indignatione in ipsos invehitur, quod tantum sibi assumant, ut Deorum sese voluntatem et potestatem artibus suis vel flectere



vel expugnare, et defunctorum animos e domiciliis suis invites in terram retrahere posse gloriarentur. Eos igitur non minus perniciosos pietatis et humani generis hostes esse judicat, quam qui omnem vim divinam funditus tollant, atque apertum adversus Deos bellum gerant. Jubet propterea Plato impios hos agyras compedibus vinctos ita in publica custodia tenere, ut nemo liber ad illos accedere possit, mortuorum vero corpora tanquam scelere contacta extra fines insepulta projicere, ne scelestae illorum reliquiae populum religione vel piaculo quodam obstringerent *).

Eodem fere modo de Orphicorum carminum auctore judicabat Isocrates. (Oper. II. VII. Ed. Beatt.) Hic nempe Orator affirmat, Orphea omnium poetarum maxime insanivisse, atque

*) Ut vero nefarii hi religionis et morum-corruptores sanctitatis quandam speciem sibi conciliarent, omnibus in arcana sua initiatis severiorem vitam, atque ab animantium carne abstinentiam praecipiebant, neque improbabile est ex Herodoti testimonio, II. 81. eosdem alia etiam Aegyptiorum sacerdotum instituta imitatos esse.



atque in deprimenda divina majestate, five in affingendis Deorum numinibus maximorum vitiorum et scelerum monstribus omnem modum atque fidem excessisse. Cum Platone denique et Isocrate consentiebat, quisquis ille fuit, antiquissimus philosophus, cujus testimonium apud Diogenem (I. 5.) legitur *).

Nihil grandius five magnificentius sonant paucae Orphicorum carminum reliquiae, quas Platonis atque Aristotelis diligentia nobis conservavit. Illi enim versus, quos Plato in Cratylo (p. 54.) adducit, similibus Homeri respondent, in quibus Oceanus atque Tethis tanquam omnium Deorum parentes celebrantur. Ex Aristotele vero discimus, (de Anima I. c. 5.) Orphicorum carminum auctorem statuiffe, hu-

N 2

manas

*) οἱ δὲ τὴν ἔνρησιν δίδοντες ἐκεῖνοις, παραγχαὶ καὶ Ὀρφεα τὸν Ἔρακα, λεγόντες φιλοσοφὸν γεγενεῖναι καὶ ἀρχαιοτάτον, ἐγὼ δὲ, εἰ τὸν περὶ θεῶν ἐξαγορευσάντα τοιαῦτα χερὶ φιλοσοφὸν καλεῖν, οὐκ εἶδα. Τίνα γὰρ δεῖ προσαγορευεῖν τὸν παντὸς ἀνθρώπινον κατὰς ἀφειδόντων τοῖς θεοῖς προστερεῖν, καὶ τὰ σπανίως ὑπὸ τινῶν ἀνθρώπων αἰσχυρῶς γινόμενα, καὶ τῶ τῆς φωνῆς ὄργανῳ. Hoc judicium Diogenes sine dubio ex antiquo aliquo auctore exscripsit.



manas animas ventorum vi ex tota rerum universitate in hominum corpora impelli, quae quidem sententia non procul ab antiquorum Pythagoreorum decretis abluere videtur. (Diog. VIII. 20.) Eadem vero prodigiosa animorum in corpora compulsio multum a Platonis aliorumque priscorum virorum sententia remota erat, (vide Platonem in Gorgia p. 320. nec non in Phaedro) qua corpus quasi animae sepulcrum, atque hanc, quam in terris vivimus, vitam sempiternae mentis mortem appellabant *).

Jam vero videamus, utrum cum his Orphicorum carminum reliquiis, et veterum philosophorum de istis judiciis ea fragmenta congruant, quae nostra aetate Orpheo adscribuntur,

an

*) Inter audaciores itaque conjecturas, quibus ipsius Cratylus totus paene refertus est, illam quoque numerandam esse censeo, (p. 53.) qua corpus nostrum propterea forsan ab Orphicorum carminum auctoribus *σῶμα* appellatum esse conjicit, quod animae quasi *σῆμα* sive sepulcrum sit. Hunc locum Clemens Alexandrinus (Strom. III. 518. Edit. Potter.) parum recte ita interpretatus est, quasi ipse Orpheus huic opinioni addictus fuisset, vel Plato etiam hanc sententiam de animabus in corporibus suis sepulcris Orpheo tribuisset.



an vero recentioris aetatis vestigia ipsis impressa sint?

Inter hæc carmina, sub Orphei nomine a Gesnero aliisque vulgata, Argonautica primum locum tenent, quibus tamen non immorabor, cum vir Græcæ linguæ peritissimus, Schneiderus, in docta sua commentatione *de dubia Orphicorum carminum auctoritate atque vetustate*, (Traj. ad Viad. 1777) miselli, a quo ista profecta sunt, auctoris flagitia satis detexerit. Statim igitur Hymnos accuratiori examini subjiciam, multisque argumentis demonstrabo, eos longe post Euripidis atque Platonis aetatem scriptos esse.

Hoc igitur primum exinde intelligitur, quod multa in ipsis numina celebrantur, quæ Græcia vel nunquam, vel multis demum post nominatos viros annis venerata est, quorumque cultum Aristophanes in Nubibus suis aliisque fabulis Socrati tanquam summæ impietatis crimen affinxit. Ad unum alterumve genus referendi sunt *Χρονος* sive Tempus, (p. 182.



Edit. Gesner.) Aether, (Hym. IV.) natura. (IX.) Jupiter Sabazius (Hym. 47.) denique nubes (Hym. 86.) quorum pleraque Aristophanes tanquam falsa sive externa numina acerbissime exagitavit. Utitur porro horum carminum auctor pluribus vocibus, quas vel a Platone atque Aristotele, vel ab eorum quoque successoribus inventas esse constat. Hujusmodi sunt vocabula ὕλη (Hym. 24.) et φαντασῖαι, (H. 10.) pro quibus antiquiores Graeci verba κρηματα et φασματα usurpabant. Quin etiam φαντασῖαι vox, pro inanibus visis sumpta, prorsus putida atque inusitata est. Omnes enim Philosophi, Aristoteli inferiores, inanes visiones constanter φαντασματα appellarunt, φαντασιων vero vocabulo vera atque externorum corporum pulsibus in nobis excitata visa significarunt.

Praeterea hoc etiam nullo negotio ostendi posse puto, Orphicos hymnos post Zenonis demum aetatem fictos esse. Horum enim carminum auctor (modo ab uno homine conscripta sunt,) Stoicorum plane more Deos vel in ma-



gnas Universi partes, vel in rerum quoque elementa et causas transmutavit, et eorundem philosophorum vestigia adeo incogitanter secutus est, ut non solum saepissime sibi ipse contradixerit, verum etiam dissociabiles et plane sibi contrarias res inter se conjunxerit. Modo enim mortem (H. 2.) et Coelum, (3) modo Naturam (H. 9.) et Panam, (H. 10) modo Rheam (H. 13.) et Jovem, (14) modo Junonem (H. 15.) vel Proteam (H. 24.) denique Titanas (H. 36.) sive Venerem (H. 54) et Oceanum (H. 82) omnium rerum parentes, causas, principia, Deorum hominumque generatores appellat. Plerisque etiam horum Deorum, nec non aliis, Vulcano exempli gratia (H. 65.) et Vestae (H. 83) duas quasi personas imponit: initio enim eos tanquam magnifica Universi membra splendidis verbis ornat, paulo post vero ad Poetarum fabulas relabens omnia fere illis facta atque scelera tribuit, quae Stoicorum filii tanquam impia figmenta rejiciebant. Non minus infelici successu alio Zenonis decreto abusus est, multas nempe res, quibus major aliqua vis inesset, ob hanc ingenitam virtutem consecratas



esse. (vid. Cicer. l. supra cit.) Ab hoc dogmate profectus Hymnorum auctor longum Deorum agmen introducit, quibus Graeci ne ultimis quidem corruptarum religionum temporibus aras atque delubra posuerunt, et unum praeterea numen Graecis non ignotum in tres diversos Deos dissecat. Neminem profecto antiquum scriptorem nominari posse certus sum, qui testatus sit, Legem, (H. 63.) quam Deam Stoicorum paene verbis descripsit, porro Sanitatem, (H. 67.) Fortunam (H. 71.) atque Nemefin ab ullo Graeciae populo divinis honoribus affectum, vel *Δικην* (H. 61.) *δικαιοσύνην* (62.) et Themidem (78 H.) tanquam tria distincta numina celebrata fuisse.

Quodsi denique cogito, quam horridus, atque ab antiquiorum Poetarum suavitate abhorrens horum carminum sonus sit; quot porro verborum monstra, et summae Graecorum morum ignorantiae documenta in illis occurrant, non possum non in illam descendere sententiam, ea a barbaro quodam homine tum temporis ficta esse,

quum



quum Graecorum lingua per omnem fere terrarum orbem propagata esset, ubique vero externorum vitiorum aliquid traheret. Quis unquam Graecarum religionum vel mediocriter doctus Themidem et Vestam mysteriorum inventrices celebravit, quibus tamen Deabus multisque praeterea aliis Diis Orphicorum Hymnorum auctor inauditas prorsus arcanas religiones affinxit. (H. 78. et 83.) Quis porro probatus et paulo antiquior scriptor eas voces usurpavit, quae in Hymno VII. v. 11. et 16. Hym. XII. 7. in p. XXVI. v. 4. 12. *). inveniuntur, quo ultimo loco contra omnes Grammaticorum regulas Deorum mater *πανδαματωρ* appellatur. *Πολυωνυμος* vocabulum, quo eandem Deam significat, non quidem prorsus inusitatum, N 5 sed

*) Solem ita appellat:

*κοσμοκρατωρ, συρικτα, περιδρομε, κυκλο
ελικτε*

δικτα δικαιοσυνης, φιλοναματε, δεσποτα κοσμου.
Hy VII.

de Crono vero his verbis utitur:

γιννα, φυημειωσι, ρεας ποσι εις.



sed tamen iis demum temporibus simul cum *μυθολογίας* voce inventum est, quum omnium Deorum Dearumque nomina in Deam Syriam et Aegyptiorum Isidem transfunderentur. His omnibus argumentis, quibus Hymnorum Orpheo adscriptorum auctoritas pervertitur, hoc tandem addo, quod Josephi Scaligeri acumen non fugit: hos nimirum hymnos antiquorum carminum, quae in Deorum honorem festis diebus cani solebant, plane dissimiles esse, quum nunquam fere Deorum facta atque res gestas magno spiritu concelebrent, sed tumidis tantum et nulla arte copulatis verbis referta atque contexta sunt.

Ad *Λιθικά* vero, quibus Orphei pariter nomen inscriptum est, quod attinet, nunquam satis mirari potui, quomodo doctis viris non illud in mentem venerit, neque Orphei neque veterum ipsius discipulorum aetate tantam pretiosorum lapidum multitudinem cognitam fuisse, quanta in his carminibus ob singulares virtutes suas praedicatur. Inter hos vero lapides Corallium quoque invenio, prisco aevo adeo inauditum,



et Plinius illud non longe ante suam aetatem ex India ad Romanos perlatum esse testetur.

Cetera vero fragmenta, quae Gesnerus maximam partem e Platoniorum et Christianorum doctorum scriptis collegit, adeo inter se et cum veterum de Orphicis carminibus testimoniis pugnant, ut nemini dubium esse possit, ea neque Platonis aetate existisse, neque ab uno auctore ficta esse. In quibusdam enim versibus unus omnium rerum architectus et rector canitur: in aliis vero Jupiter pro rerum omnium universitate atque complexu declaratur. Sunt iterum fragmenta, in quibus Stoicorum rationis vestigia apparent: alia denique Poetarum flagitia vulgique errores continent *).

Quum

*) Nemo quidem, qui in Aristotelis scriptis paululum versatus est, et loca e Platone supra a me adducta memoria tenet, dubitare potest, horum virorum temporibus neque eam opinionem, quam Sextus ex Orphicis carminibus Onomacrito tribuit citat, (III. 30. Hyp. Pyrrh.) neque etiam istas reliquias existisse, (p. 385. 399. Ed. Gesneri) quae ad Geographiam et Astronomiam pertinent.



Quum haecenus abunde demonstrasse mihi videar, priscos Graeciae incolas, et nobilissimos gentis hujus vates unum omnium rerum auctorem ne suspicatos quidem esse, non piget, breviter eam quoque quaestionem pertractare: annon Graecorum civitates iis saltem temporibus, quum virtute et opibus maxime valerent, omniumque artium et doctrinarum genere exultae essent, antiquas fabulas et superstitiones abjecerint, atque de divina natura dignius, quam rudes illorum majores, sentire coeperint?

Totam hanc rem supra jam allatis Platonis locis, nec non Senecae, (vide ejus fragm. ex August. aliisque collecta) Plinii, (II. 7.) Luciani (de Sacrif. Oper. I. 525. Ed. Reizii) denique Stoicorum apud Ciceronem testimoniis conficere possem, e quibus omnibus patet, Graecorum multitudinem nullo non tempore ea, quae Poetae turpiter finxerant, stulte credidisse. Ne tamen lectoribus assensionem vi quasi extorsisse videar; in singula descendam, atque orationem meam paulo latius explicabo. — Licet itaque nulla Graecorum civitas omnes Poetarum



Deos publice coluerit; certum tamen est, omnes, quotquot Graecia aluit, populos tres imprimis numinum classes agnovisse, majorum nempe gentium sive immortales Deos, deinde Semideos sive Deorum filios, (*Δαιμονιάς*) et postremo homines e terra in coelum profectos, quos *ἡρώων εὐχώνων* nomine venerari solebant *). Ex his Deorum ordinibus in qua-

- *) Lege imprimis defensionis a Platone pro Socrate conscriptae eam partem, qua Socrates se ipse ab impietatis crimine purgat, atque de Graecorum Diis ex communi opinione loquitur. Unum tantum alterumque locum hic transcribam, τρεῖς δὲ δαιμονιάς εἰσι ἢ τὶ θεοὺς ἢ γε ἡγεμόνα εἶναι, ἢ θεῶν παῖδας; φησὶτε; πάντῃ γε (respondet Melitus.) — — εἰ δὲ αὖ οἱ δαιμόνες θεῶν παῖδες εἰσὶ νοδοὶ τινες, ἢ ἐκ ἰορμῶν ἢ ἐκ τινῶν ἄλλων αὖν δὴ καὶ λεγόνται, τίς αὖ ἀνθρώπων θεῶν μὲν παῖδας ἡγεῖτο εἶναι θεοὺς δέμῃ. — et paulo post: ὅπως δὲ σὺ τίνα παῖδοις αὖν καὶ σμικρὸν νενέχοντα ἀνθρώπων ὡς τὴ αὐτῆ ἀνδρὸς εἶσι καὶ δαιμονία καὶ θεία ἡγεῖσθαι καὶ αὐτῆ, μήτε δαιμόνας, μήτε θεοὺς, μήτε ἡρώας, εὐδαιμῖα μὴχανῆ εἶναι. Consulte porro Initium carminis aurei, et Diog. VIII. 32. 33. quibus locis tamen vocabula; ἡρώες, et δαιμόνες alio modo sumuntur, quantum Plato ea explicavit. — His tribus Deorum generibus variae virtutes, vitia et animi perturbationes in divinas personas transformatae annumerandae veniunt, cujusmodi Athenienses misericordiam, Lacedaemonii vero mortem, timorem et risum venerabantur. (Plut. III. 546. Edit. Reiskii.)



quavis civitate unus praecipue maximis honoribus afficiebatur, is nimirum, cujus praesidio atque tutelae universam urbem sive regionem tradiderant *). Praeter hunc vero imperii et reipublicae custodem eos etiam venerabantur, a quibus se magnum aliquod beneficium accepisse credebant; reliquam vero Deorum turbam non contemnebant quidem, neque tamen eos templis, aris, sacrificiis aliisque muneribus honorabant. Omnibus porro populis illa communis erat opinio, quodvis numen, (paucis tantum informium lignorum sive lapidum molibus exceptis,) humana forma, et certis ipsi propriis notis atque insignibus praeditum esse, (vide Plut. VI. Tom. p. 866.) atque ad unum alterumve sexum referri oportere. Non minus inveterata erat illa persuasio, Deos tam malorum et calamitatum, quam bonorum et felicitatum auctores habendos esse. Hinc mos ille

victo-

*) Observare mihi visus sum, ejusmodi tutelare numen in antiquioribus civitatibus praesertimque majorum aliquem gentium Deum, in reliquis vero vel ipsum cujusvis urbis conditorem, vel alium quoque virtute praestantem virum
fui



victorum, praedarum et spoliiorum ab hostibus captorum decimam fere partem Deo cuidam consecrandi: haec etiam opinio naufragos, vel ex alio magno periculo ereptos homines permovebat, ut exiguas quasdam fortunarum suarum reliquias pro impetrata salute Deorum numinibus offerrent: eadem denique cogitatio in causa erat, quare cujusque civitatis magna aliqua calamitate afflictæ cives tanto concursu ad Deorum aras et templa properarent, ut vel summum dolorem suum ambitiose ostentarent, vel si parum gratos Deos sese expertos esse crederent, multa indignatione nec sine verborum acerbitate pristina sua merita ipsis exprobrarent *). Eisdem praeterea Deos Græci tam malevolos atque invidentes cogitabant, ut si cui magnum aliquod

*) Vide superstitionis Nicisæ querelas apud Thucydidem VII. 80. Edit. in 12. quibus similia quaedam Ciceronis verba adjiciam ex ejus epistola ad uxorem suam Terentiam: Si hæc mala fixa sunt; ego vero te quam primum, mea vita, cupio videre, et in tuo complexu emori: quam neque dii, quos tu castissime coluisti, neque homines, quibus ego fervivi, nobis gratiam retulerunt. Lib. XIV. 4.



aliquod bonum contulissent, in felicem ejusmodi hominem statim Deos conjuratos, eumque ex omnibus fortunis everfuros esse arbitrantur. Quoties igitur Graecis atque Romanis insperata quaedam gaudia atque bona eveniebant, vel eorum quoque res omni spe ac voto feliciter succedebant; toties in metu erant, ne invidiosam felicitatem magna aliqua calamitas sequeretur, Deosque propterea precabantur, ut quidquid malorum impenderet, in sua potius quam suorum capita vel reipublicae perniciem vertere vellent. (vide in p. Plut. VI. 649. 51. 748. et Lucian. de Sacrif. I. 525. *). Graecis porro Dii sui non magis invidentes, quam crudeles, morosi, in iracundiam proclives et imbecilli videbantur. Quodsi igitur in subitum aliquod

in-

*) Valde memorabile est, quod Herodotus de Amalide Aegypti rege narrat. (III. 40. 43.) Hic nempe nimiae et prodigiosae fere Tyranni hujus felicitati parum fidens amicitiam ipsi renuntiabat, quod verebatur, ne invidorum numinum ira per multos annos collecta eo atrocius in ipsum eruptura, et horrenda ejusmodi fortunae conversio intolerabilem ipsi dolorem allatura esset, nisi antiqui hospitii et amoris vineula antea abruptisset.



ingensve discrimen inciderent, vel ingruentem aliquam cladem, tristem inprimis proeliorum exitum timerent, tum vero implacabile numen non nisi humano sanguine molliri existimabant. Summa itaque alacritate vel se ipsi devotebant, vel alios quoque miseros homines superstitiosa credulitate immolabant. Non pauca hujus furoris exempla apud Graecos scriptores inveniuntur, e quibus ea tantum seligam, quae maxime illustria atque memorabilia mihi videbuntur. Primum illud est, quod apud Plutarchum legitur, (l. 466. in Themist. vita Edit. Reisk.) ipsum nempe Themistoclem invitum et renitentem paulo ante inelytam apud Salaminam victoriam Graecorum vatum imperio coactum fuisse, tres nobilissimos Persarum juvenes ad cruentas aras adducere, ut eorum sanguine Deorum numen placaretur. Eandem ob causam universus Graecorum exercitus apud Plataeam incredibili fere patientia Persarum tela excipiebat, donec Graecorum pulcherrimus tanquam victima pro omnibus Graeciae copiis cecidisset (*ὡς ὑπὲρ τῆς ἑλλάδος ἀποθάνειν* p. 519. ib. Plut.). Neque multum aberat, quin ante Leuctricam pugnam



quam Pelopidas somniq̄ quōdam monitus innocentem virginem flagitantibus Diis mactasset. Plurimi saltē vates Thebanorum acerrimum virum Themistoclis et Leonidae exemplis ad taetrum ejusmodi sacrificium incitabant, quōrum sine dubio sententia vicisset, nisi candida forte equa sponte sese obtulisset, atque pro virgine, quam Dii postulabant, habita et jugulata fuisset. (Plut. in Leon.) Pāucis verō ante annis eodem scriptore teste Boeotorum principes eo vesaniae progressi erant, ut solennem sacrificii apparatus ab Agefilao instructum foede disjicerent, quod Lacedaemoniorum rex Dianae cervam tantum, non vero antiquo more virginetti mactasset. Ultimo tandem loco notam Atheniensium atque Massiliensium consuetudinem memorabo, qua singulos quotannis homines horrendis execrationibus devovebant, ut numinum iras in eorum capita provocarent, atque a ceteris civibus averterent. Hos itaque crudeles Deos simul tam imbecillos esse opinabantur, ut eorum pacem et gratiam omnium efficacissime humilium blanditiarum et gratarum appellationum illecebris, praeterca magnis ludorum, epularum et
sacri-



sacrificiorum sumptibus, denique munerum ac templorum magnificentia sese consecuturos atque conservaturos esse considerent. (vide inprimis Jasonis Thessalorum principis insaniam apud Xenoph. Hist. Graec. Lib. 5. p. 404. Ed. Thiem. porro Plat. de Rep. Lib. II. p. 100. de Leg. X. §. 18. nec non Alcib. II. §. 9.) Praeter hanc animorum imbecillitatem aliud vitium Diis affingebant, quod cum illa plerumque conjunctum esse solet: pravam nempe et irritabilem animi mollietatem, quae levissima neque ullo consilio admissa peccata acerbissimis statim suppliciis ulciscerentur. Eorum itaque iracundiam tum maxime timebant, quando vel inscii et inviti in sacris peragendis prisca aliquid moris neglexissent vel praetermisissent. Haec Graecorum superstitio nulla re magis declaratur, quam Apollinis Delphici oraculis. Nunquam enim fere Graeci ab hoc Deo magnorum malorum remedia petiverunt, quin ipsis responderit, hoc vel illud numen errore vel negligentia quadam, cujus ne ipsi quidem sibi conscii erant, offensum esse, ejusque pacem non nisi amplis muneribus vel sacrificiis impetrari posse. Quodsi vero



Deorum pervicaciam liberalitate sua frangi posse desperabant; tum ad incantamentorum vim confugiebant, quibus Deos quoque in ordinem cogi Graecis persuasum erat. Similem efficaciam initiis vel arcanis sacris tribuebant. Quicumque enim horum participes facti erant, illi certissime sperabant, sese adversus Deorum inimicitias satis munitos fore *). His Graecorum errorum exemplis hoc unum tantum adjiciam, nullum unquam populum fuisse, qui non vel oraculorum ambagibus, vel somniorum, ominum, aliorumque ostentorum atque prodigiorum vanitatibus delusus sit, eamque ob causam praeclaras res feliciter gerendi occasiones saepissime amiserit, vel insignes etiam clades acceperit. Ut enim taceam, antiquitus in omnibus civitatibus nulla fere neque publica neque privata negotia sine oraculorum

-
- *) Quantopere Graeci deliraverint, exinde etiam apparet, quod omnes Deos signis suis ita alligatos esse putarent, ut ea vel invitis ipsis sequenda essent. Postquam igitur Fulvius Acarnaniam, Verres vero Siciliam praestantissimis summorum artificum operibus spoliassent; utriusque gentis legati nihil miserabilius in Senatu querebantur, quam quod omnibus suis Diis orbatii essent.



torum auctoritate inchoata atque perfecta esse: quis nescit, Lacedaemonios Pythiae donis antea corruptae jussu Pisistratidas bello persecutos esse, Athenasque in antiquam libertatem restituisse. Cui porro ignotum est, in omnibus fere urbibus antiquorum vatum, Musaei nempe, Bacidis aliorumque oracula (λογια, χρησιμεις) sancte custodita esse, iisque callidos et ambitiosos viros non raro abusos esse, ad *) superstiosam multitudinem quocunque vellent ducendam. Ejusmodi falsis, atque ab ipso vel fictis vel corruptis Deorum vatumque responsis Alcibiades Atheniensium populum ad bellum adversus Syracusanos decernendum instigavit, quo nullum aliud hujus civitatis potentiam magis fregisse constat, et de quo dubium est, utrum majore populi levitate susceptum, an vero foedioris ducis superstitione finitum sit. — Omnes porro Scriptores testantur, Lacedaemonios, licet

O 3

summa

*) Ne his vero quidem domesticis, innumerisque externis oraculis contenti tam Graecorum populi, quam principes eorum viri vates alere solebant, quorum consiliis maximas res tandem quam foris administrabant. (vide Plut. III. 342. 601.)



summa necessitate urgente, nunquam nisi plena Luna vel litatis hostiis fines suos egressos esse. (Xenoph. III. 134. Hist. Graec.) Eiusdem generosi populi reges exercitus quoque dimittere solebant, quoties vel terra mota esset, vel vicimarum exta triste aliquid portenderent, (Xenoph. III. 151. 253.) Similibus ostentis Athenienses etiam atque Thebani saepius percussi sunt. Illos enim timor ex Lunae defectu conceptus in Sicilia pessumdedit; (Plat. in Nic. et Thuc. I. sup. cit.) hos vero Solis deliquium ab expeditione adversus Alexandrum revocavit, (II. Plut. 389.) Neque indocta tantum Graecorum multitudo, sed maximi quoque reges et bellorum duces somniis aliisque ostentis perturbati sunt. Hoc Arrianus de Alexandro (de Exped. Alex. I. II. 25. II. 26. VII. 14 vide etiam Plutarchum IV. Vol. Op. Ej. 60. 75. 162.) et Ptolomaeo, (III 3.) Plutarchus vero de Antigono, (V. p. 8) Dione, (V. 299.) Themistocle, (I. 496. 97.) Nicia, (III, 342.) Aristide et Pausania (II, 525) Pelopida, (II 366.) Pyrrho, (II. 736, 794.) Mithridate, (III. 783.) nec non de Agide et Ageffipoli, denique Xenophon de se ipse testatur.

(Ans-



(Anabaf. 84. 131. 133. 147. 204. 261. 298. 327. 312. 335. 351. 486. de Rep. Athen. c. 6. in fine.) Inter Philosophos vero Xenophanés Colophonius et Epicurus solos exstitisse Cicero testatur, (de Divin. I. 3) qui omnem divinationem sustulerint: reliquos vero omnes divinandi artem probasse, vel unum saltem alterumque divinationis genus reliquisse.

Ex omnibus illis magnis viris, quos antiqua Graecia aluit, pauci quidem nominari possunt, qui ejusmodi opinionum commenta contemserunt; at vero ne hi quidem adversus superstitiones adeo firmatum animum habuerunt, quin saepius in illas reciderent. Sic idem ille Pericles, qui Atheniensium animos lunae defectu territos ratione et doctrina sanaverat, in atrocissimo suo et ultimo morbo gestamen aliquod collo suo appendi patiebatur. Eadem inconstantia Themistocles et Alexander modo multitudinem oraculis decipiebant, modo vero ipsi inanibus visis atque opinionibus conturbabantur. Alexander imprimis non tantum virtute et imperatoriis artibus, verum etiam anili superstitione



ceteros Graecorum duces superasse dicendus est, si modo illa vera sunt, quae maximi ipsius laudatores, (vide Arr. et Plut. l. f. c.) praesertim vero Lucianus de ipso tradiderunt. (Luc. Op. Vol. III. 148-180. Ed. Reitzii.) Non ipsi sufficiebat, Hephaestioni tanquam Deo templa atque altaria dedicasse; verum etiam turpi credulitate ea omnia avidissime arripiebat, quae sordidissimorum adulatorum greges de novi huius Dei apparitionibus, de somniis ab illo immisissis, deque morbis illius divino auxilio fanaticis fingere sustinebant. Haec vero falsa ipsius pietas adeo ferax atque immanis erat, ut unus ex ipsius amicorum numero in summum vitae periculum adduceretur, quod Hephaestionis tanquam mortalis hominis praematuram mortem lacrymis profecutus esset. Agathocles enim sine dubio leonibus obiectus foret, nisi Amyntas salutari commento Alexandrum prae moerore amentem mitigasset, Deique apparitionem atque mandatum finxisset, quo innocentis viri salus regi commendabatur. Quum igitur Alexandro tam firmiter persuasum esset, et ipse iterum aliis persuadere conaretur, mortalem virum,

cujus



cujus acerbum casum ipse tam intemperanter lugebat, in Deorum numerum receptum esse; dubitari vix potest, quin ipse etiam crediderit, sese a Deo genitum, divinisque honoribus dignum esse *),

Quaecunque haec Graecarum superstitionum exempla attuli, ea omnia illorum opinionem refellunt, qui ab antiquissimis inde temporibus meliores doctrinas in Eleusiniis Mysteriis traditas esse censent. Negari quidem non potest, quod alibi multis argumentis probare annisum **), certo quodam tempore horum sacrorum antistites omnibus *επιόπταις*, sive quicumque ad magna Cereris Eleusinae sacra admittebantur, popularis religionis vulgique Deorum vanitatem, nec non summi omnium rerum au-

O 5

ctoris

*) Fidenter contra affirmare possumus, auditionem illam et epistolam fictam esse, qua Alexander omnia naturae arcana ab Aristotele didicisse, suoque postea praeceptori vehementer indignatus esse dicitur, quod reconditam sapientiam simul cum scriptis suis pervulgasset.

***) In tertio Volumine meiner vermischten Schriften.



storis naturam ostendisse *). Si quis vero defendere vellet, ejusmodi doctrinas ante Platonis aetatem mysteriorum additamenta vel accessiones factas esse, is profecto omnem antiquae historiae fidem everteret. Quodsi enim Hierophantas prisco aevo rerum naturam discipulis ita aperuissent, et vulgi praeterea fabulas atque religiones ita detexissent, uti posterioribus temporibus factum esse probabile est; nulla unquam ratio reddi posset, quare summorum virorum mentes tot tamque puerilibus superstitionibus refertae esse potuerint. Huic argumento aliud accedit, neminem nempe inter antiquos existisse, qui vel Anaxagoram, vel Socratem atque Platonem praeclara sua de summi numinis rerumque omnium natura decreta ex Mysteriorum laebris depromissem, vel testatus vel suspicatus sit. Statuendum igitur est, Cereris Mysteriorum antiquitus eandem formam et finem fuisse, quem vetustissima Bacchi sacra, et Cabirorum arcanae religiones habuerunt, quibus Deorum

histo-

*) Hoc clarissimis veterum testimoniis, in p. Etymol. mag. in voce *τελετη*, Clem. Alex. V. 683. et Gal. de usu partium VII. 14. evincitur.



historiam, fata et res gestas vel narrata vel etiam acta fuisse ex supra citatis Herodoti testimoniis apparet. Haec opinio nemini non vera videbitur, qui gravem Platonis locum (de Rep. Lib. II. p. 140) legerit, quo suadet, impia Deorum facta, cuiusmodi Hesiodus finxerit, vel prorsus silenda, vel paucis tantum inter sacra mysteriorum silentia tradenda esse. Platonem vero hoc loco ad Cereris Mysteria allusisse, exinde intelligitur, quod adijcit, eiusmodi opinionum pravitates non universis aperiendas esse, qui porcum sacrificassent, (quod in Cereris sacris fieri solebat) sed illis tantum, qui raram aliquam et pretiosam victimam obtulissent, ut eae nimirum ad eo pauciorum intelligentiam pervenirent. Ex hoc aliisque locis, (p. 102. 104.) quibus Mysteria tanquam perniciose instituta reprehendit, Phaedonis quaedam loca aestimanda sunt, ubi de iisdem arcanis sacris melius sensisse videtur. Quando igitur affirmat, *τελετας* haec sibi propositum habere, ut animus eo, unde profectus sit, reducatur, non cogitabat de Orphicis vel Eleusiniis mysteriis, sed veram illam philosophiam intelligebat, quam

in



in hoc ipso aliisque dialogis mortis perpetuam commentationem, animorum fœtricem et emendatricem, et omnium denique virtutum matrem explicavit (p. 27.)*. Suo vero vel potius Socratis more ludens addit, priscos arcanarum religionum conditores forsitan tale aliquid in mente habuisse, dum hominibus persuaderent, omnes quotquot initiorum expertes hanc vitam reliquissent, immenso coeno sepultum iri, eos vero, quorum corpora et animi rite lustrati et purgati essent, post mortem statim in Deorum domicilia evoluturos esse.

Quamvis vero omnia, quae de Graecarum civitatum religionibus, et summorum virorum

erro-

*) Το δ' αληθες, τω οντι η καθαρισις τις των τοιωντων παντων, και η σωφροσυνη και δικαιοσυνη, και η ανδρεια, και αυτη η φρονησις μη καδαρμος τις η. και κινδυνευασι και οι τας τελετας ημιν ετοι κατασησαντες, η Φαυλοι τινες ειναι, αλλα τω οντι παλαι αιγιττεσθαι, οτι ος αν ακυητος και ατελεσος εις αιδη αφικεται, εν βορβορη κεισεται. ο δε κεκαθαρμενος τε και τετελεισμενος εκεισε αφικομενος, μετα θεων οικησει. Εισι γαρ ηδη φασιν, οι περι τας τελετας ναρθηκοφοροι μη πολλοι, βακχοι δε γυθ παυροι, ετοι δ' εισι κατα την εμην δοξαν εκ αλλοι, η οι πεφιλοσοφηκοτες ορθωσ. "



erroribus et superstitionibus haecenus disputavi, certissimis testimoniis confirmarim, praevidēo tamen, ea multis lectoribus satisfactura non esse, nisi quaedam de Zaleuci legum proemio, (vide Stob. XLII. serm. p 279. et. Diod. XII. 491.) quaeque in ipso continentur cogitationibus ad- jicerem *). Quodsi enim haec introductio ab ipso

*) Praecipuas et maxime memorabiles cogitationes ex hoc Proemio ita, uti illustris Heynius eas latino sermone reddidit, (Legum Locris a Zaleuco script. fragm. a. Disp. prior.) ad- ducam :

A principio ii, qui civitate nostra uti volent, in animum inducant, et persuasum sibi habeant, esse Deos, et intuentes caelum, mundumque, rerumque in eo dispositionem pulcherrimam et ordinem, totam illam magnificentiā, non fortuitum neque humanum opus esse cognoscant, et judicent, Deosque tanquam omnium, quae huic vitae insunt, honesta et bona, unicos hominibus auctores ac largitores, colant; animum autem suum quisque ab omni vitiorum labe purum habeat, et contemplet, necesse est, siquidem numen non malorum sacrificiis et in remi sacra factis sumtibus, sed bonorum justis et honestis studiis, vitaeque rationibus, ac rectis factis gaudeat. — Quotquot vero animos suos ad haec adducere nequeunt, sed ad iniquitatem proniores sunt, et procliviores, eos omnes — admonitos esse velimus, ut Deos reputent et esse, et ab injusto quoque et malo poenas expetere, utque sibi ante oculos ponant tempus illud, quo unicuique ex hac vita est de- scedendum.



ipſo Zaleuco ſcripta eſt, et Lœcri hujus legumlatoris diſciplinam conſtanter ſecuti ſunt; ſtatuaſmus oportet, ceteros Graeciae populos in univerſum omnes praeter Locorum gentem inſaniſſe, et ſolum Zaleucum aliquot ſerè ſaeculis ante Anaxagorae, Socratis et Platonis aetates verè ac digne de Deo et rebus divinis pronunſiaſſe.

At verò multa ſunt, quare hoc proœmium pro falſo et commenticio habere debeamus. Primum enim illud totum ſerè ad quatuor priores Platonis de legibus libros ita expreſſum eſt, ut non ſolum praecipuas et huic viro proprias ſententias, verum etiam ipſius verba repraeſentet. Neque etiam dici poteſt, Socratis diſcipulum, ſicuti multa à Minœ et Lycurgo, ita etiam a Zaleuco quaedam mutuatum eſſe. Huic enim conjecturae obſtat expreſſum Platonis teſtimonium, quo affirmat, nullum unquam veterem legiſlatorem ejuſmodi ratione uſum eſſe, ſed omnes potius vi tantum et minis egiſſe: (p. 546. in ſine libri quarti le-



legitim *) se tamen non piguisse, aliam ingredi
 viam, civiumque animos salutaribus praeceptis
 atque doctrinis praeparare, ut eo promptius ju-
 stitiam colant, et civitatis leges observent.
 Hanc Platonis confessionem clarissimorum Grae-
 ciae Legumlatorum historia confirmat, qui res
 publicas legibus et institutis suis ordinarunt,
 non vero Platonis aliorumque instar imaginariis
 civitatibus leges nunquam observandas studii
 tantum et oblectationis causa scripserunt. Inter
 hos enim, quantum ego quidem scio, nemo un-
 quam inventus est, qui longis vel artificiosis
 disputationibus viam sibi ad leges suas munivisset.
 His argumentis, quibus Prooemii, quod Zaleu-
 co adscribitur, quodque ipsum Ciceronem
 in fraudem induxit, recentior origo demonstra-
 tur,

*) Προς τὸ τοῦτο δὲ ἔδειξεν εὐκρινὴ διαστολή τῆναι πᾶσι τοῖς τῶν νόμοθετῶν, ὡς ἐξ ὄντων δυοῖν, χρῆσθαι πρὸς τὰς νομοθεσίας πειθοὶ καὶ βίᾳ, καὶ καθ' ὅσον οἶον τε ἐπὶ τοῦ ἀπειροῦ παιδείας ὄχλου, τῶν ἑτέρων χρεῖται μόνον. ἡ γὰρ πειθὸς κεραινοῦντες τὴν μάχην νόμοθετῶν, ἀλλ' ἀκράτω μόνον τῆ βίᾳ — — τῶν δὲ οὕτως νόμων ὄντων, ἔστι δὴ πολιτικὴ εἶναι φάμεν, ἔδειξεν πᾶσι, ὅτι εἴπε τι προορκιόν, ὅτι ἐξυπὲρ τοῦ γενόμενος ἐξηγήσῃ εἰς τὸ φῶς, ὡς ἀκροῦτος φύσει εἶς,



tur, hoc tandem accedit, quod Locri non minus turpiter quam ceteri Graeci in rebus divinis errarunt, (Just. XX. 2. XXI. 3.) *) neque igitur tales unquam opiniones, quales hujus praefationis auctor Locris commendavit, unquam tenuerunt, vel eas saltem multo citius, quam ceteras Zaleuci Leges, obliti sunt.

Ab harum vero rerum, quas adhuc illustravi, ordine atque serie non valde me decli-

*) Quo metu territi Locrenses ad Spartanos decurrunt: auxilium supplices deprecantur. Illi longinqua militia gravari auxilium a Castore et Polluce petere eos jubent. Neque legati responsum sociae urbis spreverunt: profectique in proximum templum, facto sacrificio, auxilium Deorum implorant. Litatis hostiis, obrentoque, ut rebantur, quod petebant, haud secus laeti, quam si Deos ipsos secum avecturi essent, pulvinaria ipsis in navi componunt, faustisque profecti omnibus, solatiâ suis pro auxiliis deportant.

Cum Rheginorum Tyranni Leophronis bello Locrenses premerentur, voverant, si victores forent, ut die festo Veneris virgines suas prostituerent. Quo voto intermisso, cum adversa bella cum Lucanis gererent, in concionem eos Dionysius vocat, hortatur, ut uxores filiasque suas in templum Veneris, quam possint ornatissimas, mittant; ex quibus forte ductae centum, voto publico fungantur etc.



clinaturum esse arbitror, si pauca quaedam de antiquissimorum Romanorum religione, praefertim vero de Numae institutis atque disciplina adjecero. Observavi enim, praecclaros viros Plutarchi quodam loco (I. *) p. 258. 259. in Vit. Num.) permotos esse, ut sibi persuaderent, Numam omnia Deorum simulacra in humanam formam efficta severe, et eam quidem ob causam prohibuisse, quod divinam naturam simplicem et puram, mentisque tantum oculis cernendam existimaverit. Ad Plutarchum vero quod attinet, plane mirum non est, illum in hanc opinionem incidisse. Quum enim omnibus fere antiquis populis et viris suas vel Platonis doctrinas affingeret, in Nu-
ma

*) Εστὶ δὲ καὶ τὰ περὶ τῶν ἀφιδρυματικῶν νομοθετη-
ματα πανταπασίην ἀδελφὰ τῶν πυθαγορικῶν δογ-
ματικῶν: — — καὶ οὗτος (Numa) δὲ ἐκάλυ-
σεν ἀνδρωποειδῆ καὶ ζωμορφὸν εἰκόνα Θεοῦ
ρομαίως νομιζέειν. ἔδ' ἦν παρ' αὐτοῖς ἕτε γράπ-
του, ἔδε πλαστον εἶδος Θεοῦ προτερον, ἀλλ' ἐν
ἑκατὸν ἑβδομηκοντα τοῖς πρώτοις ἐτίσι νῆες
μὲν οἰκοδομημένοι, — ἀγαλμα δ' ἔδεν ἐμορ-
φὸν ποιεῖμενοι διέτελεν. ὡς ἕτε ὁσίον ἀφομοίω-
τα βελτιώσα τοῖς χεῖρσιν ἕτ' ἐφαπτεσθαι Θεοῦ
δυνατόν ἀλλως ἢ γοῆσι.



ma idem hoc eo facilius facere debebat, quod falso opinaretur, hunc Romanorum regem a Pythagora aliquando edoctum fuisse. Nunquam vero ejusmodi magnificas de divina natura cogitationes, quales Plutarchus Numae tribuit, huic Romanarum religionum conditori et reformatori in mentem venisse, e sacris ab ipso institutis, Diisque ab eodem inventis facile intelligitur. Gens enim Romana Numae non solum ignis cultum, virginumque Vestalium collegium, verum etiam Deos lapides, Terminum nempe atque Jovem, per quem Feciales jurabant, denique Libitinam et Jovem Elicium debebant. (Dionys. Halicar. II. 74. Liv. I. 20. 21.) Idem creavit flaminem Jovi assiduam sacerdotem, eique duos flamines adjunxit, *Marti* unum, alterum *Quirino*. Salios item duodecim Marti Gradivo, deinde Maximum Pontificem legit, qui po-
pu-



pusum tam coelestes caerimonias, quam funebria placandosque manes edoceret; quae quo prodigia fulminibus (Livii verbis utar,) aliove quo viso missa susciperentur atque curarentur. Lucum denique, quo se persaepe sine arbitris velut ad congressum Deae inferbat, *Camoenis* sacravit, quod earum ibi concilia cum conjuge sua *Egeria* essent. Licet igitur hic Romanorum rex, qui lapides civibus suis adorandos proponebat, nulla etiam numinibus delubra atque simulacra dedicasset; nihil inde aliud concludi posset, quam inter agrestes et semibarbaros homines neminem existisse, qui Deorum imagines fingere posset. Huic conjecturae Plinius favet, testans, Demaratum, Prisci Tarquinii patrem, Euchiram et Eugrammam, fictores secum habuisse, et hos omnium primos Plasticen in Italiam intulisse. (XXXV. 12. Plin.) Si quis



vero eundem Plinium alio loco (XXXIV. 7.)
majorem fidem mereri putat; ne verum
quidem est, quod plerumque creditur, Nu-
mam nempe omnia divinae naturae simulacra
prohibuisse. Doctus enim scriptor non so-
lum antiquissimum Herculem ab Evandro sa-
cratum, verum etiam geminum Janum a
Numa rege dicatum, et rudi quidem, sed
multo tamen artificio elaboratum memorat.



HISTORIA

DOCTRINAE

DE VERO DEO

OMNIUM RERUM AUCTORE
ATQUE RECTORE

CONSCRIPTA A

CHRISTOPHORO MEINERS

PHILOSOPHIAE IN GEORGIA AUGUSTA PROFESSORE
ORDINARIO.

PARS ALTERA

QUA GRAECORUM PHILOSOPHORUM DE
RERUM ORTU ET DIVINA NATURA
OPINIONES ILLUSTRANTUR.

LEMGOVIAE,

IMPENSIS HEREDUM MEYERI; c15 1800 LXXX.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

PHYSICS DEPARTMENT

PHYSICS 354

PROFESSOR [Name]

LECTURE 1

1. Introduction

2. The Scientific Method

3. Kinematics

4. Dynamics

5. Energy and Work

6. Momentum

7. Rotational Motion

8. Oscillations

9. Waves

10. Relativity

11. Quantum Mechanics

12. Modern Physics



SECTIO PRIMA.

Qua Jonicorum de rerum principiis opinioner explicantur.

Postquam haecenus omnium praeclarum gentium, quotquot non prorsus ferae atque immanes fuerunt, religiones, quanta mihi quidem licuit, diligentia illustravi; jam in eo sum, ut veterum Graeciae philosophorum de Deo doctrinas paulo plenius et accuratius, quam adhuc factum est, exponam. Antequam vero Graecae philosophiae



limen, multis opinionum larvis obsessum, transcendam; necessarium esse arbitror, pauca quaedam praefari, ut eo melius lectores intelligant, quibus rationibus ductus quorundam hominum fidei summa securitate memet commiserim, aliorum vero auctoritatem constanter vel neglexerim vel spreverim.

Nemini itaque ignotum esse arbitror, trium antiquissimarum disciplinarum monumenta omnia fere deleta esse, et pauca tantum eaque lacera Jonicorum, Pythagoreorum et Eleaticorum fragmenta apud ejusmodi auctores inveniri, qui non actate magis quam ingenio, doctrina, fide, testimoniis et judiciis inter se discrepant. Ob hanc veterum scriptorum penuriam et sequentium auctorum repugnantias sinceri cujusvis et liberalis hominis esse existimo, ante priscarum doctrinarum expositionem palam quasi edicere et profiteri, quos potissimum ipse in tanta dissentientium hominum turba secuturus sit. Nisi enim quis antiquiores scriptores a recentioribus nugatoribus, doctos porro et graves ac diligentes viros ab indoctis sive vanis atque negligentibus



tibus hominibus fecernat; nihil fere est, quod non primis Graecorum philosophis affingi atque obtrudi queat. Ego quidem in hujus disputationis initio prae me fero, unius Platonis atque Aristotelis auctoritatem in definiendis superiorum philosophorum decretis plus apud me valere, quam omnium recentiorum scriptorum fidem et testimonia. Uterque enim, inprimis vero Aristoteles non solum divino paene ingenio praeditus fuit, verum etiam summa diligentia in evolvendis veterum voluminibus versatus est. Aristoteles porro tantam apud Graecos atque Romanos habuit auctoritatem, ut nemo ne levissimam quidem suspicionem aluerit, antecedentium philosophorum dogmata ab ipso corrupta esse. Quodsi vero quis non dubitaret, magni hujus viri nomini eam inurere infamiam, ut ejus animum turpi invidia incensum a prava libidine, aliorum gloriam et merita imminuendi, placita vero detorquendi, non aversum fuisse diceret, hoc tamen omnem fidem excedere statuumendum foret, tantum scriptorem ejusmodi flagitia, qualia Cudworthus aliique ipsi objecerunt, admisisse, quum ignorare non posset Aristoteles,



veterum philosophorum scripta in plurimorum manibus esse, ipsumque igitur in foedissimae malevolentiae crimine facile apprehendi posse. Platoni vero et Aristoteli fide, diligentia, doctrina atque ingenio proximi sunt Cicero et Sextus, in quibus viris nihil reprehendi posset, nisi alter interdum secum ipse pugnaret, alter vero fictis quibusdam libris in fraudem inductus foret. Hos vero longo intervallo sequitur Plutarchus, qui, licet felici ingenio et varia doctrina instructus esset, non raro tamen sese tanquam negligentem rerum gestarum et sententiarum investigatorem prodidit, atque in conjecturis etiam plus justo sibi indulgit. Non tamen adeo mihi vilis est praeclarus scriptor, ut putidum librum, qui de placitis philosophorum inscriptus est, ab ipso profectum esse mihi persuadere possim. Ut enim nihil dicam de proffigata commentarii hujus auctoris audacia, qua Deorum numen et providentiam impugnavit, quaeque a Plutarchi pietate et moribus longe abhorret; hoc tantum monebo, quod in sequentibus multis exemplis demonstrabitur, in hoc scriptore tot opinionum portenta, tanque foedos in recensendis

dis



dis aliorum sententiis errores inveniri, cujusmodi Plutarchus nunquam proferre potuit. Quisquis vero invenustum et monstruosum hunc foetum genuit, illi non magis tribuo, quam Pseudo-Origini, cui absurdum *Φιλοσοφμενων* opusculum debemus. Ambo nullam fidem merentur, quoties cum melioribus viris pugnant, et tunc quoque non sine maxima circumspectione adhiberi debent, quando nullis doctiorum et graviorum auctorum testimoniis refelluntur. Eodem modo de recentioribus Platonis, et omnibus Christianae religionis doctoribus judicandum est. Horum enim plerique ingenio, alii doctrina, omnes vero illo acumine destituti erant, quo opus est, ad fictos et genuinos auctorum libros internoscendos. Quoties igitur Plotini, Porphyrii, Jamblichi et Procli amentiam ingenique perversitatem, sive Clementis, Eusebii aliorumque ipsi similium imprudentiam Aristotelis, sive Ciceronis gravitati oppositas esse, inveniam; nullus dubitabo, horum potius testimonia, quam illorum commenta atque errores sequi.



Jam vero consilii mei ratione explicata omnium Graecorum philosophorum de rerum causis sententias in parva quasi tabella exponam, cujus singulas partes in sequentibus omni cura ac diligentia expingere conabor. Antiquissimi igitur naturae investigatores unam tantum rerum causam, eamque vel immobilem, vel in sempiterno etiam motu statuerunt. Primum Xenophani ceterisque Eleaticis placuit: alterum vero a vetustioribus Jonicis atque Pythagoreis defensum est, uti statim a me demonstrabitur. Quotquot vero ex hisce viris mundum aliquando natum esse censuerunt; inter illos omnes nemo exstitit, qui rerum universitatem a Deo quodam effectam esse crediderit. Ceteri Graecorum philosophi, quotquot Anaxagoram antecesserunt, vel ipsi paene aequales fuerunt, plura quidem causarum genera posuerunt; alteras, quae omnia efficerent, easque vel amicitiam et inimicitiam, vel necessitatem, vel denique fortunam, casum atque naturam appellarunt: alteras vero, quae illis se quasi praeberent, et has quidem vel igneam naturam, vel quatuor rerum elementa, vel individua denique corpora esse



esse opinati sunt. Neque tamen inter hos etiam ullus inventus est, qui causam omnium rerum fictricem sensu ac mente praeditam esse crediderit. Hoc secundum Physicorum genus Empedoclem, Heraclitum, Leucippum atque Democritum complectitur. Post hos vero balbutientes magis, quam recte judicantes philosophos tandem exortus est Anaxagoras, qui omnium primus publice dicere ausus est, mentem quandam divinam ex aeterna, sed indigesta materia hanc rerum universitatem exaedificasse. Hunc saluberrimae doctrinae inventorem omnes posteriores philosophorum familiae secutae sunt, paucis tantum exceptis, quae numen divinum vel plane negarunt, vel a mundi saltem opificio et administratione removerunt. Quicumque vero post Anaxagoram universum mundum a mente divina conditum esse, et gubernari defenderunt, eorum nonnulli, uti Plato et Aristoteles, excellentissimam naturam nullo corpore constare, alii vero, Stoici inprimis, simplicem quidem illam nec pluribus elementis concretam, neque tamen omnis corporis expertem esse docuerunt.



Quodsi vero ii demum Athei appellandi sunt, qui nullam unquam naturam, ratione atque consilio praeditam, mundum hunc disposuisse, vel ejus saltem motus ordinasse pertinaciter affirmarunt, hujus tantae amentiae eos tantum accusari posse autumo, qui post patefactam ab Anaxagora atque ab aliis exornatam veritatem hocce universum vel necessitate, vel fortuna, vel natura quoque omni sensu et mente orbata effectum esse et adhuc volutari opinati sunt. Ab hoc vero invidioso vel errore vel crimine antiquissimi Philosophi, qui ante Anaxagoram vixerunt, eam ob causam liberandi sunt, quod rerum omnium auctorem magis ignorarunt, quam negarunt, vel sustulerunt. Non sine summa etiam animi levitate, vel ingenii imbecillitate Aristoteles atque Zeno maximae impietatis rei postulati sunt, quod alter mundum aeternum, alter vero divinam naturam corpoream esse sibi persuaserat. Utrique errarunt quidem, et graviter lapsi sunt: iidem tamen divinam naturam ratione et omnibus, quae maxime cogitari possunt, virtutibus praeditam reliquerunt.



Antequam vero longius progredior, hoc praesertim certissimis argumentis probandum est, Anaxagoram primum inter Graecos fuisse, qui verum Deum omnium rerum auctorem agnovit, vel publice saltem professus sit. Hanc summi viri gloriam quisquis tuendam suscipit, ille tot illustrium virorum auctoritatibus, et gravissimorum hominum judiciis atque testimoniis sese munire vel armare potest, ut eorum pondere quemvis licet paratissimum adversarium facile opprimere valeat. Inter omnes vero eminet Aristoteles, qui pluribus quidem locis, nusquam tamen clarius atque expressius quam (Met. Lib. I. s. 3) gradus quasi atque progressus descripsit, quibus Graeci ad inveniendam mentem divinam, omnium rerum causam, pervenerint. Ait nempe Graecorum philosophorum princeps, antiquissimos viros, qui omnium primi philosophiam inchoaverint, unam tantum corpoream omnium rerum causam, eamque vel in sempiterno motu, vel omnis quoque motus expertem posuisse. Hos vero alios secutos esse, qui illud quidem cognoverint, praeter materiam quandam sive causam, e qua efficeretur aliquid, aliam requiri, quae



quae aliquid efficiat, et motus, quibus omnia corpora agitentur, gignat. Eisdem tamen non excellentissimam aliquam naturam, verum (vide etiam Phys. Aufe. l. c. 6.) vel calidum et frigidum, vel humidum et siccum, vel par et impar, vel amicitiam et inimicitiam rerum omnium et motuum efficientes causas existimasse. Post has tandem physicorum successiones egregium virum exortum esse, qui ipsa quasi veritate cogente et duce naturam omnium rerum genitricem inveniit. Anaxagoram nempe, qui cum antecedentibus collatus sicus et sobrius dicendus sit, omnium primum de superiori quasi loco concionantem Graecos docuisse, hunc tantum mundi ornatum, tamque admirabilem rerum omnium concentum atque constantiam neque fortuna et casu, neque etiam coeca quadam necessitate effici potuisse, sed mentem potius divinam existere, quae ex immensa et confusa, et nullis antea motibus agitata materia pulcherrimum omnium opus extruxerit. Quamvis vero solum hocce Aristotelis testimonium sufficeret, ad id vincendum, quod probare susceperam; non gravabor tamen, cetera quoque ejusdem viri

alio-



aliorumque scriptorum loca adducere, quibus idem efficitur: Anaxagoram nempe omnium primum fuisse, qui de uno omnium rerum auctore scripto libro locutus sit, neque ante illum quenquam inventum esse, qui efficientem mundi causam, sensu ac mente praeditam statuerit, excepto solo Hermotimo Clazomenio, a quo ipsum Anaxagoram veri Dei cognitionem accepisse Aristoteles testatur. Legant itaque, quibus ullum adhuc dubium superest, Arist. Met. I. c. 5. Phys. Auscult. 1. 2. Cic. Ac. Quaest. IV. 37. de N. D. I. II. Sext. IX. 7. (quem locum supra jam correxi.) X. 310. atque Diogenem II. 6; quibus Simplicii, nec non Alexandri Aphrodisaei testimonia a Sexti et Diogenis interpretibus adducta, denique Plutarchi (in Vit. Per.) et auctoris libri de Plac. phil. loca (I. c. 2. et 3.) adijci possunt.

Quodsi igitur hoc, de quo neminem amplius dubitare posse existimo, firmiter tenemus: ante Anaxagoram nimirum neminem vim ac mentem divinam universi mundi genetricem cognovisse; illud quoque negari non potest, quod



quod Aristoteles (I. c. 3. Met. *). Ed. Gr. Sylb. qua semper utor) Cicero, (Ac. Quaest. IV. 37. de Nat. Deor. I. 10.) Sextus (l. c.) et Diogenes (I 24.) testantur, Thaletem unam tantum rerum causam, aquam nempe, posuisse, cujus insitis motibus omnes res effectae, atque in quam non minus necessariis motibus omnia relapsura sint. Conjicit vero Aristoteles, Thaletem propterea aquam omnium rerum principium existimasse, quod physicorum primus hoc forsitan sibi persuasum habuerit, humida natura quaevis nutriri, eadem porro omnia animantia vivere, et ipsum denique calidum ex illa generari. Nisi igitur summa impudentia adversus gravissimorum hominum auctoritatem pugnare volumus; dicendum est, Thaletem ipsum mundum, quaeque in illo continentur naturas ex aqua necessariis motibus genitas atque effectas credidisse, eundem vero de horum motuum causa ac fonte explicando non magis quam ejus successores cogitasse.

Hanc

*) το μεν τοι πληθος και το ειδος της τριαυτης αρχης, η το αυτο παντες λεγουσιν, αλλα Θαλης μεν ο της τριαυτης αρχηγος φιλοσοφικος δαξ φασιν ειναι.



Hanc tam certam, tamque testatam opinionem ne unius quidem alteriusve gravis scriptoris contrarii testimoniis eripi mihi pateret: nedum igitur obscurorum quorundam, et incertis quibusvis rumoribus inhiantium figmenta ab illa me deicient. Summa igitur fiducia omnia de Deo Apophtegmata, quae apud Diogenem I. 35. *) atque Convivii septem sapientum Scriptorem **) Thaleti tribuuntur, inter illa dicta refero, cujusmodi omnibus antiquis Graeciae viris afficta esse ipse Xenophon fatetur. (Hellen. § 103. 104. Edit. sup. cit.) Diogenes porro propterea nullam fidem meretur, quod sibi ipse turpissime contradixit. Postquam enim primo libro Thaleti plura de Deo effata tribuerat; idem non dubitavit, secundo libro eum summis viris affirmare, Anaxagoram omnium primum de
 mente

*) *πρεσβυτατον των οντων, θεος. αγγειπτον γαρ. καλλιστον, κοσμος. ποιημα γαρ θεου. — τι το θειον; το μητε αρχην εχον μητε τελευτην.*

**) Tom. VI. p. 582. Hoc loco eadem dicta, iisdem vero verbis expressa inveniuntur. Thales scilicet melius ac verius ad quaestiones respondere annititur, quas Aethiopum rex Amasis Aegyptio proposuerat, et quibus Amasis Thaletis iudicio non satisfecerat. p. 580.



mente quadam divina locutum esse. Eodem modo se ipse jugulavit absurdus libri de placitis philosophorum auctor, quippe qui initio quidem (l. 2. 3.) Thaletem reprehendit, quod *σοιχειον* et *αρχην* confuderit; paulo post vero sui prorsus oblitus testatur, Thaletem *υδν τθ νοσμη θεον* appellasse. (l. 7.) Non minus inconstans Cicero in sua de Thalete sententia fuisse videtur. Licet enim Ac. Quaest. Libro quarto c. 37. dixisset, Thaletem unum tantum rerum principium posuisse; primo tamen de Naturae Deorum commentario (c. 10.) Vellejum ita loquentem induxit, ut illius sermone non solum primum illud testimonium, verum ipsum quoque hujus hominis iudicium evertatur. Hic enim Epicureae causae defensor initio orationis suae, qua in omnes antiquos philosophos invehitur, narrat, Thaletem aquam omnium rerum initium, Deum autem eam mentem dixisse, quae ex aqua cuncta fingeret. Paucis vero interpositis ait, Anaxagoram primum voluisse, omnium rerum descriptionem et modum mentis infinitae vi ac ratione designari et confici. Quum igitur haec,



haec, quae Vellejus uno quasi spiritu effudit, inter se constare non possint. statuendum est, aut Ciceronem se ipsum refellentem plane audiendum non esse, aut eum quoque propterea, quod Epicurei cujusdam personam susceperat, consulto in ejusmodi repugnantiam incidisse, aut illum denique vim illam moventem, quam Thales in aqua latere autumabat, paulo crassiore verbo mentem appellasse, quum illam animam vocare debuisset. Ut vero posterius omnium verisimillimum judicem; altera tamen conjectura probabilibus etiam argumentis defendi potest. Solebant nempe homines ex illo grege, cui Vellejus se ipse adjunxerat, sua tantum legere atque mirari, ceterorum vero maximorum virorum scripta et disciplinas superbe contemnere. Hinc accidebat, quoties adversus reliquorum Philosophorum familias pugnarent, vel inscitia vel malevolentia eorum dogmata corrumpent, ut eo facilius illos convellere vel irridere possent. Forsan itaque putavit Cicero, sese personae semel susceptae non satisfacturum esse, nisi Vellejum ad plurimorum Epicureorum similitudinemINGERET. Quod si credimus,



non solum infusa hominis scurrilitas, et ineptas argumentationes, quibus antiquiores Physicos laceffit, verum etiam ipsius ignorantia atque audacia facili negotio explicari possunt, qua Xenophanis, Empedoclis, Platonis et Aristotelis placita ita pervertit, ut ea vix sibi ipsa similia appareant. — Sive vero Ciceronis locum hoc modo, sive etiam ita interpretabimur, ut illum pro *animae* voce minus commodum *mentis* vocabulum posuisse dicamus; certum est, Cicero- nem ab aliis in testimonium vocari non posse, qui Thaleti doctrinam de mente quadam divina vindicare student.

Licet vero Thales in explicanda rerum omnium origine nullam vim vel virtutem divinam adhiberet; existimandum tamen non est, illum omnem divinam naturam sustulisse. Statuebat potius; omnia Deorum plena esse, et ipsis itaque lapidibus animas inclusas esse, quod magnete lapide et succino satis declaratur. (vide Arist. de Anima. l. c. 2. et 5. *). Diog. l. 24. Cic. de Leg. II. II. de

*) Εοικε δε και Θαλης εξ ην απομνημονευσει, κλητικον τι την ψυχη υπολαμβανειν, υπερ του λιθου εφη ψυχη εχειν, οτι τον σιδηρον κειται.



de Plac. Phil. I. 8.) Teste vero Aristotele animae vocabulo non naturam quandam sensu vel ratione praeditam, verum vim quandam motus eientem designavit, (κίνητικόν τῆ I. de Anima c. 2.) eandem scilicet virtutem, qua omnia ex aqua gigni, atque in aquam solvi sibi persuaserat. Ab hac sententia, qua nihil illis temporibus, quibus Philosophia adhuc in cunis vagiebat *), convenientius cogitari potest, facile ad illam alteram transibat, quam Cicero aliique (locis modo citatis) ipsi tribuunt: Deorum nempe omnia plena esse. In eadem enim opinione Thales fuit, quae ante illum Hesiodo, et post illum multis aliis placuit: Deos nempe ac daemones hominum atque animantium instar vi quadam aeternae materiae insita genitos fuisse: eosdem tamen propterea summis honoribus colendos esse, quod immortalitate, sapientia, aliisque virtutibus ipsis hominibus longe antecellant. Quidquid vero Thales de Diis ac daemonibus

R. 2

Judi-

*) Vel balbutiebat, ut cum Aristotele loquar.
 ψαλλίζουσα... γὰρ εἰσὶν ἡ πρώτη φησὶν ὅτι
 ἡ πρώτη φύσις, ἡ δὲ ἰσὺς τῆς αἰσθητικῆς.



judicavit: certum est, auctorem Convivii septem sapientum Thaletis de anima sententiam sicuti multa alia non satis comprehendisse; suaeque more parum recte interpretatum esse. (VI: 633. Plut. Oper. Edit. Reisk.) Putat nempe, Thaletem censuisse, per maximas quasvis et praestantissimas mundi partes animas suas esse, iisque omnibus tanquam instrumentis summum Deum eodem modo uti, quo mens humana corpore suo utatur.

Hoc meum de Thaletis philosophia iudicium multum confirmari confido discipuli ejus; Anaximandri somniis potius, quam philosopho dignis decretis. Omnes enim, quotquot de hoc viro loquuntur, adeo unanimi consensu testantur, illum quoque unanimum eamque rationis expertem rerum causam statuisse; ut ne acerimi quidem veteris Graeciae defensores negare ausi sint; verum Deum ab illo nondum cognitum fuisse. (vide Arist. Phys. Aufc. I. 5. III. 4. de Coel. III. 8. Plut. ap. Euseb. in Praep. Evang. I. 8. Cicero de Nat. Deor. I. 10. nec non Auct. de plac. Phil. I. 2. 3.) Horum scriptorum antiquissimus et fide dignissimus affirmat;



mat, (de Cœlo III. 8. *) Anaximandrum naturam
 quandam infinitam, aqua subtiliorem, aere vero
 crassio rem, quaeque coelum et cuncta sidera com-
 plectatur atque administrat, pro rerum omnium
 principio habuisse, (vide et. Phys. Aufc. III. 4.)
 atque splendidissimis titulis condecorasse. Illum
 nempe hanc infinitam naturam divinam, immor-
 talem, neque corruptioni neque interitui ob-
 noxiam appellasse. Ex Aristotele porro disci-
 mus, Anaximandrum ex infinito suo duas ite-
 rum contrarias naturas sive potestates secre-
 visse **) , (I. 5. Phys. Aufc. Arist.) quarum rare-

R 3

facti-

*) οι δε, υδατος μιν λεπτοτερον, αερος δε πυκνο-
 τερον. ο περιχειν φασι παντας της υρανης
 απειρονον. οσοι μιν εν το εν τω το ποιησει
 υδαρ η αερα, η υδατος μιν λεπτοτερον, αερος
 μιν πυκνοτερον, ει εκ τω μανωτητι και πυκ-
 νοτητι ταλλα γεννησιν.

Διο καθαπερ λεγομεν, ετ' αυτης αρχης
 αλλ' αυτη των αλλων ειηαι δοκει, και περιχειν
 απαντα και κυβερναν, ως φασιν οσοι μη ποι-
 ησι παρα το απειρον αλλας αιτιας — και τω
 το ειηαι το θειον. αθανατον γαρ και ανωλε-
 θρον, ωσπερ φησιν ο Αναξιμανδρος, και οθ
 πλησιοι των φυσιολογων. Phys. Aufc. III. 4.

**) οι δε εκ τω ενος ενεστας τας εναντιοτητας εκκρι-
 νουσιν, ωσπερ Αναξιμανδρος φησι. Has con-
 trarias vires vel naturas calidum atque frigi-
 dum fuisse, ex Plutarcho discimus, ap. Eu-
 feb. I. 8. Pract.



factione ac condensatione infiniti mundi non solum geniti essent, et efficerentur, verum etiam perierint, atque in posterum interituri sint. Eodem denique viro teste, Thaletis discipulus omnes fragiles licet et caducos mundos in Deorum numero collocandos esse existimavit, quod e divinae materiae sinueducti sint. Non sine causa igitur Vellejus Anaximandro objecit, (I. de N. D. Cic. 10.) illum nativos Deos, longis intervallis orientes occidentesque finxisse. Hisce somniis miro modo respondent, quae idem de siderum hominumque et ceterorum animantium ortu tradidisse dicitur. (Plut. ap. Euf. l. c. Symp. VIII. 8. — de Plac. Phil. III. 20. 25; V. 9.) Etenim arbitrabatur, mundi hujus initio igneum quendam orbem, aera terrae nostrae circumfusum, corticis instar cinxisse, hunc vero postea laceratum fuisse, atque ex ejus tandem fragmentis solem, lunam, terram, ceteraque sidera existisse. Non minus singularis erat alia viri hujus sententia: homines nempe per longum temporis intervallum a piscibus nutritos fuisse, quos propterea hominum parentes appellare solebat. In tanta rerum ignorantia facile explicari potest, quo-



quomodo summa quoque ingenia, necessariorum et coeclarum causarum impetu omnia agi existimaverint, atque praestantissimam naturam, quam summo studio quaerebant, assequi frustra laboraverint.

Ab Anaximandro disciplinam accepit Anaximenes, quem antiquiorum Jonicorum agmen claudere existimo, qui que nulla alia re a Thaletē et praēceptore suo distinguitur, quam quod aquae et infiniti corporis loco aera tanquam omnium rerum principium posuit, ejusque rarefactione atque condensatione omnia oriri atque interire arbitratus est. (vide Cic I. 10. Plutarch. ap. Euf. I. 8. Arist. I. 2. de Anima Diog. II. 3. et 16. Arist. de Coel. III. 4. Simpl. in Ar. Phys. fol. 6. p. I.)

Ipsius Thaletis atque Anaximandri aequalis fuit Pherecydes, quem Pythagorae praēceptorem omnium primum de Deorum natura soluta oratione scripsisse multis veterum testimoniis constat. (Diog. I. 116. et ibi interp.) Quotquot vero Graecorum auctorum in hujus viri librum inciderunt, illi omnes fatentur, ejus orationem numeris quidem non adstrictam, ceterum ob crebras figu-



ras verborumque translationes, nec non perpetuas fere fabulas priscorum Theologorum dicendi generi valde similem fuisse. (vide Strabonem I. p. 18. Max. Tyr. XXIX. p. 304. *) et ibi auctores ab Heinsio citatos.) Ex Maximi imprimis loco intelligitur, Pherecydem poetica licentia non solum in fingendis et detorquendis vocibus, verum etiam in narrandis Deorum factis atque miraculis usum esse **), eamque ob causam irritum profecto laborem ille susciperet, quicumque obscurarum ipsius reliquiarum, et imprimis illius effati, quod Diogenes exscripsit, (I. 129. ***) sensum eruere anniteretur. Nemo vero facile credet, hunc Philosophum, poetarum modo ludentem, altius in naturae arcana penetrasse, quam Thaletem atque Anaximandrum, qui in id omni studio incumbabant, ut vatum somnia a suis

*) Αλλά και σφίσι την ποιησιν σκοπει, και τον Ζηνά, και την Χθονίην, και τον εν τέτοις βροτα, και την Οφιογενος γενεσιν, και την Δεωρ μαχην και το δεινδρον και το πέπλον.

**) Pherecydem tamen utrumque moderatius fecisse, ex Aristotelis mox citando loco apparet, ubi illum ab istis Theologis quasi secernit, qui de rebus divinis fabulose locuti sint.

***) Ζεος μιν και χθονος εις εισασι και χθων ηρ. χθονη γαρ ονομα εγενετο γη, επειδη αυτη Ζεου γην γαρως διδοι.



suis decretis separarent. Nihil enim minus verisimile cogitari potest, quam ejusmodi virum, qui in linguae vix dum solutae egestate ne verba quidem inveniebat, quibus cogitata sua exprimere posset, talem inquam virum omnium rerum auctorem cognovisse, quem summos post illum viros per integrum fere saeculum frustra quaesivisse e sequentibus patebit. Ut igitur anticipem Aristotelis locum, quo Pherocydes primum generans pro re vel natura omnium optima declarasse dicitur, ex Stagiritae mente, et nullo repugnante luculento testimonio interpretemur; (vide Arist. N. cap. 8. p. 246. Metaph.) sciendum est, vetustissimos Graeciae Theologos et Philosophos in duas quasi partes distinctas fuisse, quarum altera res illas, quae genitae essent, altera vero materiam, e qua omnia gignerentur, pro optima natura habuit. Primam sententiam tuebantur Hesiodus, Pythagorei alique; alteram vero Thales, Anaximander atque Pherocydes defendebant, quippe qui omnes materiam atque vires, quibus omnia efficerentur, ipsis rebus genitis longe anteponebant.

SECTIO SECUNDA.

*Qua Pythagorae ejusque vetustissimorum
discipulorum opiniones de rerum omni-
um ortu atque causa exponuntur.*

E Pherecydis institutione prodiit Pythagoras Samius, quem omnium maxime inepti laudatores, praepostero ornandi illum studio adeo deturparunt, sui que dissimilem reddiderunt, ut exigua tantum spes supersit, fore ut egregius vir ex innumeris fabularum et mendaciorum involueris, quibus quasi sepultus est, unquam eruatur. Annitar tamen omnibus ingenii viribus, ut ipsi Pythagorae antiquam dignitatem, ejusque disciplinae pristinam formam et simplicitatem restituam. Quid vero industria mea effecturus sim, malo in aliorum expectatione relinquere, quam in oratione mea ponere.



Omnia igitur falsa de hoc viro recentiorum hominum judicia e duobus vel tribus potius fontibus profluxisse arbitror. Quotquot enim vel nostra vel antecedentibus aetatibus de Pythagora, ejusque doctrinis scripserunt, vel propterea errarunt, quod nullo discrimine facto, nulloque judicio adhibito recentiores et fabulosos auctores non minori confidentia atque securitate, quam antiquos et fide dignos secuti sunt: vel etiam propterea lapsi sunt, quod nulla temporum ratione habita Pythagoreorum aetates non accurate distinxerunt; fictosve ac commenticios libros pro veris et incorruptis Pythagoreorum monumentis habuerunt. Nisi igitur Pythagoreorum successiones diligenter notentur, omniumque scriptorum et librorum fides sedulo exploretur; ne a summo quidem ingenio vera vel verae similis Pythagorae ejusque familiae historia exspectari potest.

Quodsi cum Bentlejo, ejus rationes omnium maxime probabiles esse alio loco ostendam, Pythagoram circa Olymp. LXVIII. vel LXX obisse statuimus; dicendum est, duo fere saecula elapsa



elapsa esse, antequam vel ipse vel instituta ab eo sectae fata, res gestae, atque opiniones ab ullo scriptore, cujus quidem fragmenta ad nos pervenerint, litteris mandarentur. Aristoteles enim omnium primus plures de Pythagoreis eorumque placitis libros composuit, quos iniqua quidem nobis fortuna invidit, e quibus tamen Diogenis praesertim diligentia pauca quaedam nobis servata sunt. Idem porro scriptor, quem non solum antiquissimum, verum etiam fide dignissimum testem esse omnes facile mecum fatentur, multa de Pythagoreorum decretis ceteris voluminibus suis insperfit, quae vel sola sufficiunt ad extinctae Pythagoreorum philosophiae aliquam lucem accendendam, et plurimas falsas opiniones refellendas. Aristotelis exemplo multi eius discipuli ad pertractandam Pythagorae vel Pythagoreorum historiam incitati esse videntur. Non solum enim Porphyrius atque Jamblichus, verum etiam Diogenes ex Hermippo, Aristoxenus, Dicaearcho, atque Heraclide Pontico sua fere omnia hauserunt. Inter hos vero Heraclides Ponticus adeo puerilibus fabulis libros suos referfit, ut omnium eorum-

que



que gravissimorum virorum judiciis, tam foedae credulitatis, quam extremae in fingendo impudentiae condemnatus sit. (Cic. de Nat. Deor. I. 13. Plut. in Vita Camillae, Timaeus ap. Diog VIII. 67. 68. hisce adde Voss. in lib. suo de Hist. Gr. et Casaub. ad Diog. V. 86. etc.) Hujus hominis ingenium ex paucis ipsius furoris documentis satis cognosci potest, quae Diogenes in ejus vita adduxit *). Paulo quidem modestior erat Hermippus, neque hunc tamen quoque a credulitatis vel mendaciorum turpitudine purgari posse existimo. Hic enim de Pythagora ejusmodi nugae, (VIII. Diog. 10. 41.) de Zoroastre vero tam incredibile miraculum protulit, ut illum vel nullius vel valde suspectae fidei esse quisvis intelligat. Ad Dicaearchum quod attinet, ipse plane incertus sum, illumne accusare, an
verò

*) Tam incredibilis in illo vanitas erat, ut post mortem pro Deo haberi cuperet, tanta vero vel in accipiendis fabulis amentia, vel in fingendis stupor, ut mera fere portenta narraret, quibus vix pueri decipi potuisse videntur. Legant quaeso, quicumque harum rerum curiosi sunt, ineptias illas, quas de Pythagora atque Empedocle vel conquisiverat, vel ipse commentitus erat. (VIII. Diog. 4. 67. 68. f.)



vero adversus superstitionis vel fraudis suspicio-
 nem defendere debeam. Modo enim ad ipsius
 auctoritatem tuendam me commovet honorifi-
 cum Ciceronis testimonium, qui hunc scriptorem
 tantopere dilexit, vel potius amavit, ut ipsius li-
 bros, inprimis vero eum, quo acerrime adver-
 sus animorum immortalitatem pugnaverat, au-
 reolos saepius appellaverit. Vix igitur probabile
 videtur, talem virum, qui Ciceroni tam yehe-
 menter placuit, quique hominum animos nihil esse
 statuerat, fabulas fingere vel credere sustinuisse.
 Quando vero ex altera parte cogito, eundem
 virum, qui animos penitus sustulerat, divinatio-
 nem e somniis retinuisse, et incredibilis fabulas
 auctorem esse, qua Pythagoras per quadraginta
 dierum spatium omni cibo abstinuisse fertur,
 non possum non elegantissimum scriptorem vel
 levitatis vel temeritatis insimulare. — Ex omni-
 bus denique Aristotelis amicis solus Aristoxenus
 praeceptoris magis quam condiscipulorum simi-
 lis fuit. Hunc enim summa fide ea, quae de
 Pythagoreis vel vera vel verisimilia cognove-
 rat, perscripisse non tantum Strabonis alio-
 rumque honorifica testimonia, verum etiam
 ipsa



ipsa librorum ejus fragmenta evincunt, quae apud Diogenem, Porphyrium atque Jamblichum inveniuntur.

Multis post horum virorum aetatem annis Pythagoreorum non quidem fata, sed dogmata tamen exposuit Alexander Polyhistor, Sullae aequalis, quem in Pythagorica quaedam scripta incidisse Diogenes testis est. Licet vero hujus hominis judicio parum tribuam, eumque Berosi, aliorumque fabulas nimis credule adoptasse ac repetiisse non ignorem; ipsius tamen historiam Pythagoreorum disciplinae, e qua plurima transcripsit Diogenes, propterea non contemnendam esse arbitror, quod illius fragmenta cum Aristotelis et Sexti (quem post Aristotelem summa apud me auctoritate esse prae me fero) aliorumque testimoniis praeclare consentire invenio.

Longe vero aliter de istis viris statuendum est, qui prioribus post Christum natum saeculis non solum Pythagorae ejusque discipulorum fata atque doctrinas enarrarunt, verum etiam ipsi Pythagorae sectatores videri voluerunt, ejus



ejusque intermortuam disciplinam renovare annisi sunt. Quaecunque enim Porphyrius, Jamblichus atque Philostratus ex ipsorum libris in commentarios suos transtulerunt, ea omnia probant, hosce viros in invenendis portentosis fabulis, atque in detorquendis Pythagoreorum placitis omnem fere modum excessisse. De his potissimum hominibus illud valere arbitror, quod Jamblichus de Pythagoreis generatim mire candore vel potius stupore narrat; eos nempe non solum omnibus fabulis et auditionibus fidem adhibere, verum etiam similia commenta tentare solere. (Sect. 138.)*).

Ex his dissimilimis et diversissimarum aetatum scriptoribus sine ullo judicio Pythagoræ vitas compilarunt Porphyrius atque Jamblichus, quos ingenii imbecillitate, sordida super-

*.) Και τὸτο γι πάντες οἱ πυθαγορεῖοι ὁμῶς εἶχον πιστευτικῶς, οἷον περὶ λειψικῆ τε προκοινησίῃς, καὶ ἀβαρδῶς τε υπερβορῆ τε μυθολογικῶς καὶ ὅσα ἄλλα τοιαῦτα λεγεται. Πᾶσι γὰρ πισυῆσι τοῖς τοῖκτοῖς, πολλα δε καὶ αὐτοὶ πειρῶνται. Τῶν τοῖκτῶν δε τῶν δοκῶντων μυθικῶν ἀπομνημοειυσιῶν, ὡς καὶ πῖςυῆτις ὁ, τι αἰ εἰς τὸ λείον ἀιγῶνται.



perfitione et puerili credulitate omnes, quotquot illos antecesserant, auctores longe superasse notum est. Horum hominum quanta in colligendis rebus negligentia fuerit, exinde cognosci potest, quod non solum saepius eadem repetunt, verum etiam e diversis scriptoribus ea narrant, quae prorsus inter se pugnare vel coecus videre potuisset. Summa porro orationis tam a Porphyrii quam a Jamblichi inprimis portentoso sermone longe abhorrentis inaequalitas, nec non foeda rerum nullo ordine coagmentatarum confusio, denique crebra verborum ac locorum in utroque scriptore occurrentium consensio quemvis attentum lectorem in eam opinionem adducere debent, Jamblichum atque Porphyrium integra plerumque auctorum capita transcripisse, eorundemque verba semper fere retinuisse. Hanc utriusque summam indiligentiam, sive laboris intolerantiam, quae in quovis alio vel orationis vel ingenii gloriam captante nunquam acerbè satis reprehendi posset, unicam vel praecipuam causam esse existimo, quare his hominibus aliquoties fidem habere queamus.

S

enim



enim molestiae vitandae causa res aliunde desumptas neque inter se comparare, neque suo more disponere, neque dispositas suis verbis explicare sustinerent: certi esse possumus, illos aliorum quidem testimonia atque iudicia compilasse, nunquam vero vel raro eandem suis verbis et falsis opinionibus interpositis corrupisse. Libenter porro hoc ipforum super-
 stitioni et ingeniorum perversitati condona-
 rem, quod tanta aviditate quaevis miraculorum
 ac fabularum genera corripuerunt, modo melio-
 rum ac fide digniorum auctorum loca simili di-
 ligentia exscripsissent, eorumque nomina, e
 quibus quaevis hauserant, accurate notassent.
 Jam vero dolendum est, Jamblichum perraro,
 Porphyrium saepius quidem, neque tamen sem-
 per auctores suos citasse, eosdemque magis in
 Heraclidis Pontici portenta, et Apollonii Ni-
 comachique nugas, quam Aristotelis vel Aristo-
 xeni iudicia et testimonia animos intentos habu-
 isse. Si quis tamen diversam orationis formam
 et crebras ejus mutationes in utroque scriptore
 sedulo observare, eorumque loca cum similibus
 Ciceronis, Diogenis aliorumque locis compa-



rare velit; ille non raro auctorum nomina, quibus Porphyrius atque Jamblichus sua debebant, vel aetates etiam, quibus haec vel illae fabulae fictae atque narratae sunt, eruere, siue verisimili saltem coniectura assequi poterit.*).

Quum igitur exploratum sit, Porphyrium atque Jamblichum maximam librorum suorum partem ex omni scriptorum tam gravium quam suspectorum genere depromsisse, facile apparet, quas quemque regulas sequi oporteat, qui sine magnorum errorum periculo eorum testimoniis uti sibi proposuit. Quoties nempe ambo aucto-

S. 2

res

*) Hanc meam rationem uno tantum exemplo illustrabo. Non solum nempe ex orationis tumore et intempestiva grandiloquentia, quam Heraclides Diogene teste affectavit, verum etiam ex ipsis rebus, quae narrantur, et quas ab Heraclide profectas esse aliunde scimus, (ex Cic. Ac. Quaest. V. 3. et Diog. VIII. 4.) recte me concludere arbitror, totum Jamblichi locum (c. XII-XVI.) e nominato ventosi ingenii scriptore desumptum esse, eumque igitur antiquorum illorum principem fuisse, de quibus Porphyrius (l. 23. 28.) et Jamblichus affirmant, (S. 60.) eos maxima miracula atque portentosa de Pythagora narrasse.



res cum antiquis iisque fide dignis scriptoribus consentiunt, vel ex ipsorum confessione aliisve rationibus exploratum habemus, illos, quaecunque proferunt, ex Aristotele vel Aristoxeno transcripsisse; toties utrumque virum sine ulla dubitatione in testimonium vocari posse, et eorum neque negligentiam neque superstitionem quenquam impedire debere existimo, quo minus illos summa fiducia sequatur. Simulatque vero vel fabulas fundere incipiunt, vel melioribus etiam testibus, quos ipsi consulere debuissent, vel sibi ipsi denique contradicunt; tunc profecto nemini dubium esse potest, an ejusmodi hominum auctoritatem deserere queat, qui ad insanos in primis miraculorum architectos sese applicuerunt. Quando denique Porphyrius atque Jamblichus nullis auctoribus nominatis ea tradunt, quae optimorum scriptorum judiciis non repugnant; tum ex ipsarum rerum indole atque natura judicandum est, illisne assentiri, an vero fidem denegare debeamus.

His regulis si uti voluissent recentioris aevi auctores; nunquam in describendis Pythagorae
 ejus-



ejusque discipulorum vitis atque decretis tanto-
pere a veritate aberrassent. Omnes enim no-
vorum et nullius fidei hominum segmentis delusi,
Pythagoram tanquam plurimarum disciplinarum,
vel inventorem vel perfectorem sistunt, qui to-
tam vitam suam in perpetua meditatione et na-
turae contemplatione consumserit, omnia vero
publica munera, atque negotia tanquam coele-
stium cogitationum impedimenta averfatus sit.
Tanta porro illum superbia fuisse narrant, ut
praeclara sua inventa paucis tantum, et his quo-
que non nisi post longum silentium et intoleran-
das fere vexationes tradiderit. Callidum nempe
virum hoc sibi persuasum habuisse, eo majorem
auctoritatem se ipsum et doctrinas suas adeptu-
ras esse, quo flagrantius arcanae sapientiae desi-
derium hominum animis instillaret, quoque ma-
jore temporis atque laborum jactura quemvis
illam redimere cogeret. Tam immani denique
arrogantia ac importunitate illum finxerunt, ut
servile prorsus obsequium a discipulis suis fla-
gitare, eorumque animos saevi Tyranni instar
sub imperio habere ausus sit. Illum pervulga-
tum istud, *αυτος εφρα*, jactasse et nemini,



nisi qui in secretis contubernium receptus esset, dictorum et dogmatum rationes postcere permisisset, verum etiam voces suas tanquam divina oracula sectatoribus suis obtrudere conatum esse. Non ignoro quidem, haec aliaque similia a Diogene, Porphyrio, Jamblichio, nec non ipso Cicerone credita ac tradita fuisse; neque tamen dubito, ea omnia tanquam incredibiles fabulas rejicere, quae cum certissimis fide dignorum hominum testimoniis ab ipso Porphyrio atque Jamblichio adductis aperte pugnent, atque maximam partem ab Heraclide Pontico, mendacissimo et impudentissimo Pythagoreorum historiae et disciplinae corruptore, profecta sint. Hic enim tantum magistri sui quam veritatis desertor omnium primus non solum quaevis miracula atque portenta, quae de fabulosis antiquae Graeciae viris circumferebantur, in Pythagoram transtulit, verum etiam eundem virum ad sapientis exemplar, a Platone in suis de Republica libris propositum, transfiguravit, et universam paene hujus auctoris disciplinam Samio philosopho assignavit *).

Haec

*) Hoc meum de Heraclide judicium confirmatur
 supra



Haec Heraclidis somnia per longam aetatem contemta jacuerunt, donec sub Augusti ejusque successorum imperio ingruente omni superstitionum, et religionum genere homines exstiterunt, qui illius maxime nugatoris libris excitati incredibili studio Pythagorae ejusque sectatorum vitam exprimere et imitari, disciplinam vero atque dogmata revocare annisi sunt *). Inter hos maxime eminuit Apollonius, quem immensa gloriae cupiditate incensum ad Pythagorae imaginem atque exemplum, quale Heraclides illud effinxerat, sese conformasse, et multos sui imitatores nactum esse, inter omnes notum est. Ab hoc inde tempore non solum Pythagoreorum nomen per plura saecula extinctum iterum percrebuit, verum etiam magnae impuro- rum vel supersticiosorum hominum catervae un-

S 4

dique

supra jam adductis Ciceronis et Jamblichi locis, quibus alius ejusdem scriptoris locus tam accurate responderet, ut cum quoque ex Heraclide desumptum esse nullus dubitem. (vide Jamb. in Vita Pyth. S. 159 & seq.)

*) Horum virorum nomina adducuntur a Schefero in libro suo de Natura & Constitutione Philosophiae Italicae c. XV.



dique coortae sunt, qui Pythagorae scilicet dogmata, uti illa ab Heraclide descripta, ab Apollonio vero renovata erant, interpretari et explicare, vel ipsi etiam disciplinae conditori clarissimisque ejus discipulis libros ac nova miracula affingere studuerunt. Inter hos feriores corruptae Pythagoreorum philosophiae interpretes Nicomachus atque Moderatus maxime memorabiles sunt, quorum alter Neronis, alter vero Caracallae temporibus vixit, quorumque vestigia omnes postea Platonici secuti sunt. Jamblichus vero aetate tanta jam commenticiorum librorum multitudo erat, ut ipse hic credulus Platonis sectator illos inter causas enumeret, quare Pythagorae Historia tantis difficultatibus obsepta sit. (in praefat.)

Quodsi vero Heraclide ceterisque novis hominibus spretis antiquos et maximae auctoritatis viros audire volumus, longe alia Pythagorae ejusque amicorum vivendi ratio atque instituta fuerunt. Omnium quippe testimoniis certum est, Pythagoram post peragratas pluri-
mas Asiae atque Aegypti regiones et felicem in patri-

patriam reditum Samum insulam iterum nul-
 lam aliam ob causam reliquisse, nisi quod gene-
 rosus omnisque servitutis impatiens animus Po-
 lycratis Tyrannidem ferre non poterat. Nar-
 rant porro omnes, eundem patria profugum
 Crotona in voluntarium quasi exilium sese con-
 tulisse, et brevi tempore non solum in hac ur-
 be, verum etiam in multis aliis Italiae civita-
 tibus maximam apud omnes sexus, aetates, or-
 dines auctoritatem consecutum esse, simulque
 ingentem amicorum numerum sibi comparasse;
 quam ob rem a Timone Pyrrhonio hominum
 venator appellatus est. Quotquot denique in-
 ter veteres de Pythagora locuti sunt, ii in uni-
 versum omnes testatum reliquerunt, ipsum Py-
 thagoram ejusque amicos ubique Tyrannos a po-
 pulorum cervicibus depulisse, civitates vero in
 pristinam libertatem vindicasse, easque non solum
 egregiis legibus ornasse, verum etiam ruentes
 vel corruptos earum mores reformasse et corre-
 xisse, postremo universam magnam Graeciam
 tam praeclara disciplina tantaque sapientia tenu-
 isse ac gubernasse, ut res publicae in istis oris
 conditae nunquam lactius effloruerint. (vide



ipsum Porphyri. li. 21. et seq. Jambl. 29. 30. 33. 129. 172. Diog. VIII. 3. Just. XX. 4. Cicer. li. c. 16. Tusc. Quaest. V. 4. de Amic. c. 4. de Orat. III. 34.) Haec vero principum virorum societas, cujus ipse Pythagoras caput Crotonae degere solebat, ita constituta erat, ut neminem in sodalitium suum reciperent, nisi cujus mores, indolem, naturam, et totam ante aetam vitam diligenter examinassent. (vide Cratinum ap. Diog. VIII. 37. et Jambl. c. 20.) Quorum vero ingenium atque animum satis exploraverant, ii omnes non solum intima voluntatum, cogitationum omniumque rerum communitate et societate cum Pythagora ejusque amicis jungebantur, verum etiam vestitu, victu et tota vitae ratione a ceteris civibus distincti erant. (vide Just. et Jamb. l. c.) Hoc itaque illustrium virorum consilium reliquis imperantium artibus eas quoque adjunxit, quibus multitudinis animos maxime moveri et retineri sciebant: summam nempe in Deos pietatem, sanctiorem et castiorem sacrificandi morem, crebras porro purgationes ac lustrationes, postremo divinandum et omne morborum genus sanandi periti-



aliam *). (vide cit. auct. et aur. carmen.) His artificijs illud quidem consecuti sunt, ut imperii summa ubique fere in ipsorum manibus esset, tantam vero simul invidiae tempestatem adversus se excitarunt, ut ea denique obruerentur. Gravissimi enim auctores eo consentiunt, omnia Pythagoreorum sodalitia potentissimorum hominum conjurationibus prope deleta vel ita saltem imminuta esse, ut pauci tantum Pythagorei nominis hostium vim atque insidias effugerint. (vide Aristoxenum ap. Jamb. sect. 248-252. Dicaearch. ap. Porphy. f. 56. Nicomachum atque Apoll. ap. Jamb. f. 252 et sq. Just. l. c. Diog. VIII. 39. 40.) Has Pythagoreorum clades, quarum memoria seditionum adversus Pythagoreos nomine ad Dicaearchi usque aetatem duravit, tantae rerum publicarum perturbationes secutae sunt, ut omnes fere Graeciae civitates legatos mitterent, ad afflictarum et summis viris orba-

tarum

*) Quin imo imperium sibi in ipsos Manes et defunctorum animos arrogarunt; si auctori commentationis, quae de Genio Socratis inscribitur, et meo quidem iudicio Plutarcho falso assignatur, fides habenda est.



tarum Italiae urbium statum quodammodo componendum. (vide Polyb. II. 51.)

Quum igitur omnia Pythagoreorum societatis studia, leges, facta, instituta, nec non summorum, quos schola ista tulit, imperatorum ac legumlatorum multitudo, denique ipsius interitus, quaeque exinde ortae sunt, calamitates satis superque ostendant, et cuius illam quasi confessionem exprimant, hosce viros inprimis regendis, ordinandis et amplificandis rebus publicis deditos fuisse; impudentissimi profecto et amentis fere hominis erat, lectoribus suis persuadere velle, Pythagoram, splendidissimorum et primariorum virorum principem, in excogitandis tortuosis quaestionibus, et assidua rerum subtilissimarum atque a communi vita remotarum contemplatione occupatum, a republica vero administranda alienissimum fuisse. Post patefactam autem veritatem summae vel ignorantiae vel pervicaciae indicium foret, si quis Heraclidi potius Pontico, audacissimo fabularum architecto, iisque, qui anili paene credulitate ipsius commenta adoptarunt, fidem habere, quam



quam amplissimorum hominum auctoritates atque certissima facta sequi vellet. Nisi vero ipsa etiam res tam clara atque testata esset; Heraclidis tamen aliorumque ipsi similium narrationes tam parum verisimiles sunt, ut cuivis prudenti viro suspicionem facere debeant. Quid enim incredibile est, nisi hoc est, Pythagoram tanta vesania fuisse, ut nobilissimorum hominum, sapientiae ipsius inhiantium, ardentibus votis per plures annos illudere auderet, Pythagoreos vero (quantos, quaeso, viros!) tam stupida patientia fuisse, ut arrogantissimi hominis contumelias atque ludibria aequo animo ferrent, et molestum inprimis ac diuturnum silentium sibi injungi paterentur. Non nego quidem, Pythagoram omnes, quotquot in amicorum suorum ordinem cooptari optabant, multis modis perscrutari consuevisse, neque cum novis ac recenter adscriptis sodalibus intimas statim animi cogitationes atque consilia communicasse; illud vero pernego et constanter negabo, Pythagoram propterea discipulorum mores, indolem et vultus ad tam severum examen revocasse, et primis amicitiae temporibus adeo
testum



tectum atque clausum fuisse, quod sanctiores
 litteras suas impuris vel non satis praeparatis
 pectoribus committere dubitaverit, vel quod
 callida cunctatione hominum de se suaque do-
 ctrina opinionem augere sibi proposuerit.
 Omnia contra decreta sua de optima vitae ra-
 tione, de sanitate tuenda, de Deorum Numini-
 bus sancte ac pie colendis, denique Mathema-
 tica praecepta, ita non celavit, ut ipsum po-
 tius de hisce rebus ad populum dixisse, vel
 post illarum inventionem Musis publica sacri-
 ficia obtulisse ferant. (vide Just. l. c. Dicaearch.
 ap. Porph. S. 18 et ips. Jambl. cap. X-XIII.)
 Quae cum ita sint; ipsa veritas ac totius socie-
 tatis institutio ad illam nos opinionem deducere
 videntur, ista disciplinae arcana, quae Pytha-
 goras illos, quos nondum satis probaverat, ce-
 lasse dicitur, secreta consilia fuisse, quae ad
 negotia publica, ad deprimendos adversarios,
 ad civitatum statum vel confirmandum vel im-
 mutandum, denique ad antiquas leges abrogan-
 das, sive novas etiam condendas pertinerent.
 Quum enim hujus scholae principes hoc sibi
 propositum haberent, ut florentissimas magnas



Graeciae civitates consiliis suis regerent, et *συσημα* suum quam plurimarum urbium conjunctione et societate roborarent atque amplificarent, necesse erat, ut multa imperii arcana haberent, quae non sine summo ipsorum periculo pervulgari, atque non nisi leuissimis et sapientissimis viris credi poterant. Ipsa porro disciplinae ratio atque natura postulabat, ut multos quasi amicitiae et familiaritatis gradus constituerent, summamque diligentiam adhiberent, quo minus nemo in ejusmodi loco collocaretur, quo fiducia in ipso posita, atque secretis in ipsius sinu conditis in universae societatis perniciem abuti potuisset.

Jam vero nemini difficile futurum esse arbitror suspicari, quid celebrata ista Pythagoreorum symbola sibi voluerint, quemve in finem inventa fuerint. Haec nimirum Symbola vel certa quaedam signa fuerunt, quibus societatis membra se invicem ab aliis dignoscerent, vel obscurarum quoque vocum, et perplexarum sententiarum formam habuerunt, quarum ope Pythagorei vel absentes vel praesentes de rebus

gra-



gravissimis ita inter se communicare possent, ut nemo, nisi qui horum dictorum et verborum sensum ab ipsis didicisset, arcanum huic sermonem intelligeret. Notum satis est, neque ulla probatione indiget, omnia fere sodalitia, omnesque societates Pythagoreorum exemplo et more institutas certa quaedam signa eligere consuetas esse, quibus ea quoque membra, quae nunquam ante sibi innotuerunt, se agnoscere queant, omnesque praeterea principes viros regendis civitatibus praepositos arcanis signis, vel secreto quodam sermone uti solere, quorum ambagibus atque involucris sensus suos tuto committere possint. Ad utrumque finem Pythagoreorum Symbola adhibita sunt, uti non solum ex haecenus dictis, verum etiam ex memorabili Jamblichii loco, quem Aristoxeno debebat, (f. 237. 238. *)

nec

*) Και ταυτα μιν ὁ Ἀριστοξενος — — λεγεται δε, ὡς και αγνοοντες αλληλῃς οἱ Πυθαγορικοι σπειρωντο φιλικα εργα διαπραττεσθαι ὑπερ των εις οψιν μηδεποτε αφιγμενων, ηνικος τε κμηριον τι λαβοιεν τε μετεχειν των αυτων λογων. Narrat itaque, Pythagoreum quendam iter facientem gravi morbo afflictum atque in diversorium aliquod delatum esse.

Τον



hec non ex Diogenis (VIII. 16.) et Luciani testimoniiis patet. (vide Luc. Op. Tom. I. 730 p. Edit.

Τὸν μὲν τοὶ πανδοχεῖα, εἴτε οἰκτῆρ τῆ ἀνθρώπων, εἴτε καὶ ἀποδοχῆ, πάντα παρασχεσθαι, μὴτὲ ὑπεργίας τίνας φείσαμενον, μὴτε δαπανῆς μηδεμίας. Ἐπειδὴ δὲ κρείττων ἢ ἡ ἰσότης, τὸν μὲν ἀποδύνησκειν ἐλομενον, γράψαι τι συμβολὸν ἐν πίνακαι, καὶ ἐπισειλαί, ὅπως αὐτὶ παῖδοι, ἐκκρημνῆς τὴν δελτὸν παρὰ τὴν εἶδον, ἐπισκοπῆ, εἰ τις τῶν παριόντων ἀναγνώριει τὸ συμβολὸν. Τῆτον γὰρ εἶπὴ αὐτῶ ἀποδοσθῆναι τὰ ἀναλωμὰτα εἰς. — Diogenis verba haec sunt: ἰκανὸς τε γὰρ ἢ φιλικῆς ἐργατικῆς τὰ τε ἀλλὰ. Καὶ εἰ τίνα πύθοιτο τῶν συμβολῶν αὐτῆ κεκοίνωνηκοτα, εὐδὺς τε προσηταιρίζετο καὶ φίλον κατεσκευαζεν. — In Graecorum mysteriis duo Symbolorum genera usitata erant, quorum alterum Pythagoreorum symbolis valde simile erat. Quivis nempe, qui initiari cupiebat, tempore purgationis et προμνησεως certas quasdam voces et obscuras dicendi formulas accipiebat, quas tum, quum templum ingrederetur, pronuntiare, et quasi reddere debebat. Haec symbola signa erant, quibus lustrati et bene praeparati ab impuris vel profanis dignoscebantur. Eorum exempla apud Clementem, (Cohort. ad Gentes p. 14. 18.) apud Arnob. V. p. 175.) et Julium Firmicum (de errore profanarum relig. c. 19.) inveniuntur. Aliud symbolorum genus erat, quorum Apulejus (in Apol. I. p. 348. Edit. Calvii) his verbis meminit. Vin dicam, cujusmodi illas res, in sudario obvolutas, Laribus Pontiani commendarim? Mos tibi geretur. Sacrorum pleraque initia in Graecia participavi. Eorum quaedam
T
signa



Edit Reizii) Posteriorum vero aetatum homines non pauca Pythagorae dicta, quae ipse simplicium et priorum verborum inopia coactus poeticis dictionibus atque translationibus expresserat, ita acceperunt, quasi ipse de industria sensus suos obscurare voluisset. Ejusmodi dicendi formulae illae mihi esse videntur, quas Porphyrius ex Aristotele adduxit *), quaeque ab

signa et monumenta tradita mihi a sacerdotibus sedulo conseruo. Nihil insolitum, nihil incognitum dico. Vel unius Liberi parris symmystae, qui adeste, scitis, quid domi conditum celetis, et absque omnibus profanis taciti veneremini.

- *) Porph. §. 41. Ipsa hujus scriptoris verba apponam, quibus conjecturae meae multum roboris accedit: ελεγε δε τινα και μυσικη τροπη συμβολικως, α δη επιπλεον Αριστοτελης ανεγραψεν. οιοι, οτι την θαλατταν μεν εκαλει ειναι θαλυρον. Τας δε αρετας, ρεας χειρας. Την δε πλειδα, μεσων λυραν. Της δε πλανητας, κυνας δε Περσεφονης. Τον δε εκ χαλκης κρυμμενη γινομενον ηχον, Φωνη ειναι τινος των δαιμονων, εναπειλημμενη τη χαλκη. Ab his poeticis vel symbolicis dictionibus, quae Aristoteles illustraverat, ipse Porphyrius aliud symbolorum genus distinguit, ea nempe, quibus explicandis Porphyrius, Jamblichus aliique maxime occupati fuerant. Ην δε και αλλο ειδος των συμβολων τοιςτων. Ζυγοι μεν υπερβαινουν. Τητ'εσι, μη πλεονεκτειν. μη το πνε τη μαχηρια σκαλισμν, εις.



ab iis, quae statim sequentur, symbolis toto genere diversae sunt. Suspicio vero, frigidae illas interpretationes, quibus in quodvis Symbolum vulgaris aliqua atque ne matrona quidem paulo prudentiori, nedum Pythagora digna sententia intruditur, ab Heraclide primo profectas esse. Neminem enim praeter illum vel adeo stupidum vel ita quoque audacem fuisse probabile est, ut vel ipse crederet, vel aliis se persuasurum esse speraret, Pythagoram tot amplissimorum virorum principem sententias e trivio petitas, quae cuivis e plebe domi nascuntur, propterea in obscura et ambigua verba inclusisse, ut discipulos suos hisce portentis per aliquot annos fatigaret, et exhausta denique eorum patientia egregios scilicet sapientiae thesauros recluderet. Praeterea illud valde notandum est, neque in Platonis neque in Aristotelis scriptis ejusmodi symbola eorumque explicationes inveniri, cujusmodi Plutarchus, Porphyrius atque Jamblichus tanta diligentia conquisiverunt, et hinc itaque non immerito concludi posse videtur, has Symbolorum nugas, vel ineptas saltem eorum interpretationes horum viro-



rum aetate nondam extitisse *). Denique ipse orationis tumor, quem in omnibus Jamblichi locisprehendimus, ubi Symbola citantur, (Jambl. S. 103 etc. 161. 247. 227.) nec non falsa judicia, quae Symbolorum explicationibus intermixta sunt, Heraclidem ejusque sectatores prodere videntur. Quisquis vero Symbolorum, quae ad nos pervenerunt, et totius ea illustrandi rationis auctor fuit, ille suam in fingendo dexteritatem multo felicius experiri potuisset, si Pythagorae ejusmodi Symbola tribuisset, quae grandes atque illustres de Deo, mundo, numeris et sideribus sententias, vel mathematica quoque praecepta

*) Huic conjecturae locus quidam Hieronymi opponi posset, quem Jonsius (de Script. hist. phil. l. c. II.) his verbis citat: Illaque aenigmata, quae diligentissime Aristoteles in suis libris profequitur? Stateram ne transilias etc. — Vehementer vero dubito, an Hieronymus ipsa Aristotelis scripta de Pythagoreis vel aduersus Pythagoreos legerit. Multo mihi probabilius viderur, sanctum hunc virum paulo ante citatum Porphyrii locum vel in mente vel ante oculos habuisse, neque tamen verba illa satis respexisse, quibus Porphyrius illud symbolicum dicendi genus, quod Aristoteles illustraverat, ab altero symbolorum genere, de quibus ipse loquitur, satis accurate distinxit.



cepta complexa essent. Tunc enim ratio probabilis reddi ac cogitari potuisset, quare Pythagoras res tanti momenti verborum tenebris abscondere voluisset. Jam vero nullo modo intelligitur, quid sibi voluerit Pythagoras, cum pervulgata plerumque dicta, atque communes locos, quibus multo meliora Simonides, Solon, Theognis aliique carminibus suis comprehenderant, tam absurda diligentia verborum involueris tegere conatus sit.

Nobilissima haec Pythagoreorum societas, quam recte summorum virorum altricem, magnae vero Graeciae emendatricem atque gubernatricem appellare possis, ne ad conditoris quidem sui mortem duravit, sed paulo ante illum adversariorum infidiis extincta est. Quum enim omnes hujus ordinis primarii viri interfecti essent, et civitates quoque nullam Pythagoreos revocandi, eorumque inimicos ulciscendi voluntatem ostenderent, (vide Aristox. ap. Jamb. 250. 51.) omnes, quotquot nefandae cladis superstitēs erant, spes suas communibus aliquando consiliis res publicas administrandi abjecerunt,



neque amplius de recuperanda antiqua dignitate et disciplinae forma cogitarunt. Iidem tamen viri, Isocrate, (in Enc. Bas.) Platone (de Rep. X. p. 298. Ed. Massey) et Aristoxeno (l. c.) testibus, non solum pristinos mores et consuetam vivendi rationem, eaque decreta, quibus innutriti erant, retinuerunt, verum etiam successoribus suis tanto studio tradiderunt, ut Pythagoreorum nomen ad Aristoxeni usque et Heraclidis aetatem floureret, et paulo post tandem extingueretur. Inter hos superiores Pythagorae Scholae alumnos non pauci exstiterunt, qui magnas civitates vel rexerunt, vel legibus suis ordinarunt, uti Empedoclis, Archytae, Timaei atque Eudoxi exemplis abunde demonstratur. Post Pythagorae vero mortem nunquam ipsius sectatores in justae disciplinae corpus coalescere potuerunt. (Arist. ap. Jambl. 251.)

Omnes itaque, quotquot inter Pythagoreos nomina sua professi sunt, in duas inprimis classes distribuendos esse arbitror. Altera antiquos illos viros complectitur, qui florentis adhuc societatis membra fuerunt, quosque solos genuinos et veros Pythagorae amicos appellandos esse



esse censeo. Altera vero eos continet, qui post disciplinae interitum superstitum Pythagoreorum vel eorum, quoque successorum mores atque dogmata vita atque scriptis suis expresserunt. Ex hoc secundo Pythagoreorum genere primi iterum, qui Pythagorae aetatem proxime attigerunt, atque ante vulgatam Anaxagorae doctrinam vixerunt, ab ultimis separari debent, qui post Periclis praeceptorem atque Socratem nati sunt vel scripserunt. Hae Pythagoreorum aetates et successiones propterea diligenter notandae sunt, ne res prorsus diversae inter se misceantur, atque ultimorum Pythagoreorum decreta ipsius disciplinae auctoris ejusque sociis tribuantur. Quis enim non videt, illos Pythagoreos, qui uno, vel sesqui altero saeculo post magistrum suum vixerunt, antiquam ad illos propagatam disciplinam tam suis quam aliorum inventis non uno modo ornare atque immutare debuisse, quum nullis amplius ordinis legibus obstringerentur, atque universa Graecorum philosophia summorum virorum laboribus interim aucta atque amplificata esset. Hoc vero quamvis ita perspicuum sit, ut quivis illud intelligere potuisse vi-



deri queat; omnes tamen recentioris aevi scriptores, qui in Pythagoreorum dogmata et historiam inquisiverunt, diversa tempora et remotarum aetatum inventa confuderunt, et eorum quoque hominum, qui post Anaxagoram, Socratem et totam veterum Sophistarum et Eleaticorum turbam Pythagorei vocati sunt, opiniones atque merita ad ipsius Sectae auctorem retulerunt, unde summam historiae perturbationem et innumeros errores existisse quivis facile existimare potest.

Quaecunque haecenus disputavi, ea omnia praemittenda esse duxi, ut lectorum animos quasi praepararem ad pauculas veterum Pythagoreorum philosophiae reliquias aequo animo accipiendas. Scio enim, plerosque doctos viros ea opinione imbutos esse, Pythagoram recte atque magnifice de divina natura ejusque virtutibus sensitse, et praevideo itaque, eos omnes non solum miraturos, verum etiam mihi ipsi forsitan indignaturos esse, quando contra omnem ipsorum expectationem ejusmodi veterum Pythagoreorum opiniones enarrare incipiam, quas
tan-



tantis ingeniis prorsus indignas iudicaturi sunt. Quibus vero illud omnem fidem excedere videbitur, vetustissimos Pythagoreos tam perverse de rerum omnium origine statuisse, illi cogitent velim, Pythagoram Thaletis et Anaximandri aequalem, Pherecydis vero discipulum fuisse, eumque igitur inter ipsa Philosophiae et solutae orationis initia ista aetate vixisse, qua illi, qui omnium primi de natura disputabant, ne clara quidem et perspicua verba inveniebant, quibus animi notiones exprimere possent. Praeterea haec secum considerent, non eos tantum, qui Pythagoram antecesserunt, ipsive aequales fuerunt, verum etiam istos, qui proxime illum secuti sunt, Xenophanem nempe ceterosque Eleaticos, porro Empedoclem, Heraclitum, Leucippum atque Democritum alio quidem, sed non minus singulari modo errasse, nihilque incredibilius cogitari posse, quam solum Pythagoram ejusque amicos civitatum magis quam naturae arcanis investigandis intentos, veritatem vidisse, reliquos vero, qui post illum per plures hominum aetates in contemplanda natura unice occupati fuerunt, tantis iterum tenebris circumfusus

T 5

fuisse.



fuisse, quasi praeclarae Pythagorae doctrinae cum ipso penitus sepultae essent, quique disciplinam ab ejus amicis acceperunt, omnem earum memoriam perdidissent.

Omnia *vetustissimorum* Pythagoreorum scripta, si quae fuerunt, quod valde mihi probabile videtur, penitus interierunt; quorum vero vel fragmenta ad nos pervenerunt, vel nomina quoque fictis libris inscripta sunt, illi omnes vel longo post Scholae extinctionem vixerunt *), vel inter intimiores etiam Pythagorae amicos non recepti fuerunt. Neque enim Empedocles atque Philolaus, neque Timaeus Locrus atque Archytas florentis Pythagoreorum disciplinae tempora attigerunt. De Epicharmo dubitari quidem posset, quod illum Hieronis aetate Syracusis vixisse Diogenes atque Jamblichus narrant. (S. 266.) Eodem vero Jamblichō teste illustris Poeta in Pythagoreorum societatem nunquam adoptatus est. Antiquissimorum igitur Pythagoreo-

*) De Ocello Lucano ejusque aetate infra pluribus agam.



reorum dogmata prorsus ignoraremus, nisi Aristoteles magnam eorum partem suis *των μετεωρικων φυσικων* libris nobis conservasset. Hunc vero non suae aetatis, sed primorum Pythagorae sectatorum decreta nobis tradidisse, non solum exinde intelligi potest, quod illos Pythagoreos, de quibus ipse loquitur, ab Empedocle atque Eudoxo semper distinguat, verum etiam ex luculentis ipsius locis patet, (Met. Lib. A. cap. 8. p. 13. et Lib. M. cap. 8. p. 217.) quibus illos Alcmaeoni, quem in ultima Pythagorae tempora incidisse testatur, aequales, Parmenide vero, Melisso atque Democrito antiquiores facit. Non tantae quidem tamque venerandae antiquitatis fuerunt illi commentarii, e quibus Alexander Polyhistor et Sextus *) Pythagoreorum dogmata hausserunt; vel hi tamen, si ornamenta quaedam et uberiores explanationes excipias, ita cum
Ari-

*) Eorum saltem, quos Sextus consuluit, librorum auctores tam Anaxagorae quam Democriti aliorumque recentiorum philosophorum dogmata cognoverunt, atque refellerunt.



Aristotele consentiunt, ut hujus viri fidem erimari velle non procul ab insania foret.

Maximus itaque Platonis auditor constantissime et pluribus locis testatur, vetustissimos Pythagoreos, qui omnium primi mathematicas disciplinas sive potius ratiocinandi artem inchoaverint atque tractarint, plurimas similitudines inter ceteras res et numeros deprehendere sibi visos esse, eamque ob causam statuuisse, numeros vel numerorum elementa omnium rerum principia atque causas esse *). Affirmat porro, eosdem credidisse, ex ipsis his numeris atque numerorum elementis omnia nata atque effecta esse, numerosque a rebus, quae inde exstiterint, non diversos ac separatos, verum intime cum illis conjunctos atque permixtos esse, quamob-

rem

*) Met. I. cap. 4. p. 13. εν δε τῆτοις και προ τῆτων οι καλεμενοι Πυθαγορειοι των μαθηματων αφαιμενοι πρωτον, ταυτα προσηγον, και εντροφεντες εν αυτοις, τας τῆτων αρχας, των οντων αρχας οιωθησαν ειναι παντων. Επει δε τῆτων οι αριθμοι φυσει πρωτοι, εν δε τοις αριθμοις εδωκην θεωρειν ομοιωματα πολλα τοις 8σι και γιγνομενοις μαλλον, η εν πυρι και γη και υδατι. vide etiam Lib. M, cap. δ. p. 217.



rem omnes naturas tam terrestres quam coelestes numerorum qualitates, habilitates five virtutes appellaverint *). Has opiniones non antiquiores tantum Pythagorei, verum recentiores etiam defenderunt, quorum dogmata apud Diogenem (VIII, 25.) et Sextum (X. 248. adv. Mathemat) inveniuntur. Ex Aristotele vero patet, inter priscos Pythagorae amicos magnam de ipso numero, vel numeris eorumque elementis, e quibus omnia generata esse volebant, dissensionem fuisse. Quidam enim unitatem, magnitudinis non expertem, vel unitatis elementa, par atque impar, quorum alterum finitum, alterum infinitum esset, pro rerum principiis habebant **); alii vero, iique inter se
ite-

*) I. c. ὅτι το μὲν τοιοῦδε τῶν ἀριθμῶν πᾶθος δεικνύσθαι, τὸ δὲ τοιοῦδε, ψυχὴ καὶ νῆς. ἕτερον δὲ καιρὸς καὶ τῶν ἀλλῶν, ὡς εἶπεν, ἕκαστῶν ὁμοίως. — (vide etiam p. 217.) Paucis interjectis testatur, Pythagoreos numeros rebus ipsis immixtos credidisse: φαίνονται δὲ οὗτος τὸν ἀριθμὸν νομίζοντες ἀρχὴν εἶναι, καὶ ὡς ὕλην τοῖς ἄτοι, καὶ ὡς πᾶθη τε καὶ ἕξεις. His respondent sequentia loca I. c. 5. οἱ δὲ ἀριθμοὶ εἶναι φασὶ αὐτὰ τὰ πρᾶγματα. Lib. M. cap. 5. p. 221. denique Lib. IV. cap. γ. p. 244.

**) Vide locum paulo ante cit. Lib. M. cap. 5. καὶ



iterum dissentientes, plures numeros neque tamen eandem illorum multitudinem omnium rerum αρχαις atque σοιχειαι ponebant *). Pars enim vel binarium sive το δεξιον και αριστερον, alii vero vel unitatem cum binario conjunctam, vel ternarium, vel quaternarium, vel denarium decemve contrariorum paria, vel infinitos denique numeros materiam esse affirmabant, e qua omnia effecta sint **).

omnia

Και οι Πυθαγορειοι δε ινα τον μαθηματικον, πλην η κεχωρισμενον, αλλ' εκ τητων τας αισθητας υστας συνεσανει φασι. Τον γαρ ολον χρονον κατασκευαζιν εξ αριθμων, πλην η μοναδικων. αλλα τας μοναδας υπολαμβανουσιν εχειν μεγαθος. οπως δε το πρωτον εν συνετη μεγαθος εχον, απορειν σοικασιν. — — μοναδικης δε της αριθμης παντες ειναι τιδιασι, πλην των Πυθαγορειων, οσοι, το εν, σοιχειαι εν και αρχην φασιν ειναι των οντων. De Numeri vero elementis ita loquitur Aristoteles. Lib. A. cap. ε. p. 13. τα δε αριθμη σοιχειαι, το αρτιον και το περιττον. τητων δε το μειν πεπερασμενον το δε απειρον. το δε εν δη εξ αμφοτερων ειναι τητων.

- *) Vide l. c. p. 13. ιτεροι δε των αυτων τητων τας αρχαις, δικα λεγουσιν ειναι τας κατα συσοιχειαν λεγομενας, περας, απειρον etc. — Cum hoc loco confer alium Lib. λ. cap. η. p. 204. περι δε των αριθμων οτε μεν ως περι απειρων λεγουσιν, οτε δε ως μεχρι της δεκαδος αριθμουν. Vide etiam de Coelo. II. 2.
- **) Vide loc. paulo ante cit.



omnia e numeris constare dicerent, ac coelum, virtutes, animam, mentem eorum opera atque virtutes appellarent, nullas tamen rationes afferbant, e quibus intelligi potuisset, quo modo e rebus omni pondere carentibus absque ulla vi movente tam levia quam dura corpora, ipsaeque animantes sensu ac ratione praeditae, postremo admirabilis rerum omnium ordo atque constantia generata essent *). (p. 15. 21. 214.

244.

- *) Περι τῶν τετρατῶν ἔν, τετρατῶν ἀπιφθῆσαντο τον τροπον, και περι τῶν τι εἰν ηῤῥῆσαντο μὲν λεγειν, και ὀριζισθαι, λιαν δε ἀπλως ἐπραγματευθησαν. p. 15. Lib. A. c. ε. διαλεγονται μὲν τοι και πραγματευονται περι φύσεως πάντα. γενῆσαι τι γὰρ τον ἔρανον, και περι τὰ τετρα μερη, και τὰ παθη και τὰ ἐργα διατηρησι το συμβαινον. — — ἐκ τινος μὲν τοι τροπε κινήσις εἶσαι, πέρματος και ἀπειρη μονον ὑποκειμενων, και περιττα και ἀρτια, ἔδεν λεγῆσαι, η πως δυνατον ἀνευ κινήσεως και μεταβολῆς γενεσιν εἶναι, και φθοραν, η τὰ των φερόμενων ἐργα κατὰ τον ἔρανον, ἐτι δε εἴτε δοιη τις αὐτοις ἐπ τετρατῶν εἶσαι μεγεθος, εἴτε δειχθῆιη τετρο, ὁμοια τινα τροπον εἶσαι, τὰ μὲν κερφα, τὰ δε βαρος ἔχοντα των σώματων. — ἐξ ἄν γὰρ ὑποτιθενται, και λεγῆσαι, ἔδεν μαλλον περι των μαθηματικων λεγῆσαι σώματων, η περι των πεισθητων. διο περι πυρος η γῆς, η των αλλων των τοικτων σώματων, ἔδ' ὅτι ἔν εἰρηκασι — — ἐτι δε πως δεῖ λαβεῖν, αἰτια μὲν εἶναι τὰ τε ἀριθμη κα παθη, και τον ἀριθμον, τῶν κατὰ τον ἔρα-



244. Met. Ed. Sylb.) Saepius itaque (ib. et de Coelo II. c. 3.) Aristoteles Pythagoreos reprehendit, quod nulla ratiocinandi arte, nullaque argumentatione adhibita de rebus gravissimis differuissent. Neque sine causa miratur, illos tantopere desipere vel errare potuisse, ut sibi persuaserint, numeros, quos mens nostra omnium naturarum primas et simplicissimas cogitet, re quoque non solum ante omnes res, verum etiam earum causas atque principia exstitisse.

Post harum opinionum expositionem quis forsitan ex me quaeret, an vetustissimi Pythagorei, quorum pietas tantopere celebrata sit, nullam prorsus vim atque virtutem divinam agnoverint? Ad hanc quaestionem respondeo, illos Deorum quidem naturam non sustulisse, sed omnia eorum genera non minus ac coelum et homines eorumque animos e numeris derivasse.

πρωτον αυτων και γιγνομενων, και εξ αρχης και νυν, αριθμον δε αλλον μηδενα ειναι παρα του αριθμου τεττον εξ ου συνεστηκε ο κοσμος; vide in p. Lib. μ. cap. β. p. 214. et Lib. Ν. cap. γ.



vaffe. Etenim opinati sunt, Ignem vel Aethera, quem omnium maxime praestantissimam naturam esse pronuntiabant, Jovis custodiae nomine mediam mundi partem occupasse, circa quam terra, ceteraque coelestia corpora moveantur. (Arist. de Coelo H. 13. *) Hujus ignis dignitati tantum tribuerunt, ut illum ipsis numeris, e quibus eundem natum esse censebant, plurimum anteferrent, illudque tanquam dogma ponerent: omnia, quaecunque ex rerum elementis genita essent, multo excellentiora atque digniora esse iis ipsis principiis, e quibus res omnes natae atque profectae essent **). (Arist. Met. Lib. λ. c. ζ. p. 203.)

Cum

*) Επι μεν γαρ τε μεση πυρ είναι φασι. την δε γην, εν των ασρων θραν, κυκλω φερομενην περι το μεσον, νυκτα δε και ημεραν ποιειν. — επι δ'οιγε πυθαγορειοι και δια το μαλιστα προσηκειν φυλαττεσθαι το κυριωτατον τε παντος. το δε μεσον είναι τοιςτον. ο Διος φυλακην ονομαζουσι, τε ταυτην εχον την χωρη πυρ.

**) Οσοι δε υπολαμβάνουσιν, ωσπερ οι Πυθαγορειοι — το αριστον και καλλιστον, μη εν αρχη είναι, δεη το και των φυτων και των ζωνιων τας αρχας αιτια μεν είναι, το δε καλον και τελειον εν ποιεσ εκ τειτων, εκ ορθας οιοιται.



Cum his Aristotelis testimoniis optime conveniunt eorum Pythagoreorum decreta, quae Diogenes praesertim ex Alexandri Polyhistoris commentariis transcripsit. (VIII. 25. et sq.) Hi enim existimarunt, unitatem omnium rerum causam atque principium esse: ex hac vero monade binarium, qui illi se tanquam materiam praebeat, prodiisse: ex utroque porro numeros, e numeris puncta, e punctis lineas, e lineis planas figuras, e planis figuris solidas, e solidis figuris solida atque concreta corpora, ex his denique globosum mundum mente ac sensu praeditum existisse. Praeterea hoc sibi persuasum habuerunt, (S. 26.) aëra, quo terra cingatur, morbidum et immotum, hancque ob causam omnes naturas, quae illum hauriant, eove circumfundantur, interitui obnoxias esse: supremum vero Aethera purum, tenuem, immortalem, atque semper in motu, proptereaque omnia, quae in illo contineantur, immortalia atque divina esse. Ipsum itaque Aethera Deum appellarunt, cujus providentia ac nutu omnia regantur; praetereaque sidera Deorum appellatione insignierunt, quod in ipsis calor, omnis vitae

fons



Deos, hominum denique et animantium stirpiumque genera nata atque effecta esse. Ipsas vero rerum origines, sive modos et ordines, quibus quaevis natura genita esset, recentiores hi Pythagoreorum sectatores multo luculentius descripserunt, quam antiquos fecisse reperio. — Statuendum itaque est, omnium quidem aetatum Pythagoreos vim quandam divinam per omnem mundum intentam *) credidisse, hanc vero ceterarum rerum instar pro genita habuisse, neque igitur magis quam veteres Jonicos de mente quadam cogitasse, qua infinita rerum universitas e numeris tanquam ex materia extracta atque generata sit.

Quum igitur omnes auctores in eo consentiant, Pythagoreos universum mundum nulla virtute divina adhibita ex unitate vel numeris aedificasse; facile superfedere possem, Plutarchi testimonia refellere, quibus Pythagorae inauditas

*) Vellej. ap. Cic. I. de Nat. Deor. II. Nam Pythagoras, qui censuit, animum esse per naturam rerum omnem intentum, et commicantem; ex quo animi nostri corporentur etc.



tas prorsus opiniones affinxit. Ait nempe (Op. Tom. I. p. 158. 168. *) in Vita Numae) Pythagoreos ignem sive Aethera Monada atque Vestam appellasse, et hanc primam naturam simplicem, puram, impatibilem, neque oculis sed mente tantum cernendam existimasse. Haec τὸ πρῶτον descriptio quodammodo ferri posset, si Plutarchus voce ista non Aethera, sed Monada, sive unitatem, Aetheris aliarumque rerum matrem, intellexisset. De hac enim ea fere dici poterant, quae ipse falso Aetheris divinitati tribuit. Nihil vero probabilius est, quam Plutarchum propterea divinum ignem atque unitatem confudisse, quod supra adductum Aristotelis locum, (de Coelo II. 13.) quem sine dubio in mente habuit, non satis tenaciter memoria retinuerat.

Huic meae disputationi, qua Pythagoreorum de rerum ortu opiniones explicavi, rationes

U 3

tan-

*) Ουτε γὰρ ἐκεῖνος αἰσθητὸν, ἢ παθητὸν, ἀορατὸν δὲ καὶ ἀκρητὸν καὶ νοητὸν ὑπελαμβάνειν εἶναι τὸ πρῶτον — εἰ p. 268. — τὸ συμπαιτὸς κόσμου, ἔμεσον οἱ Πυθαγορικοὶ τὸ πῦρ ἰδρυσθῆναι νομίζουσι, καὶ τὸτο εἶπεν νομίζουσι καὶ μονάδα.



tandem adjungam, quare nunquam neque Epicharmi dictis et fragmentis, neque isto libro, qui de universi natura inscribitur, atque Ocello Lucano tanquam auctori assignatur, usus sum. Primum igitur ad Epicharmum quod attinet, supra jam monui, dubium esse, an ille unquam in Pythagoreorum sodalium adoptatus fuerit, et jure igitur veritus sum, ne non minus errarem, si hujus viri opiniones pro Pythagoricis venderem, quam si quis Empedoclis effata Samio philosopho assignare vellet. Huc praeterea accedit, quod certi esse non possumus, annon inter ea fragmenta, quae Hertelius, Morelli atque Grotius collegerunt, falsa quoque inveniuntur, cujusmodi sine dubio ille Liber fuit, quem Plutarchus legerat, atque in quo testatum erat, Pythagoram civitate Romana donatum fuisse. (I. 259 in Vita Numae *). Nescio porro, an loca illa et versus, in quibus sententiae Heraclito a Platone, Aristotele et Sexto adsignatae

*) Ex memorabili Athenaci loco apparet, jam ante Aristoxeni tempora plura carmina Epicharmo afficta fuisse. Vide ipsius Deipnosoph. XIV. cap. 17. p. 648. Ed. Cas.)



tae occurrunt, Epicharmo tribuere, an vero ipsi abjudicare debeam. *) Heraclitus enim antiquior est, quam ut ex Epicharmi carminibus praedari potuerit; nec minus tamen improbable videtur, Siculum vatem Heracliti librum de natura legisse, quum tenebricosus scriptor opus

U 4

suum

*) Ejusmodi fragmenta sunt, quae apud Grotium p. 275. et Heit. 284. existant:

ὁ δε γε τας τεχνας ἀπασι συνεπεται θειος λογος.
 εκδιδασκων αιεν αυτες, οτι ποιειν δει συμφερον.
 ου γαρ ανθρωπος τεχναν ευρ' ο δε θεος ταυτων
 φερει.

ὁ δε γε τ' ανθρωπος λογος πεφυκ' απο τας
 θειων λογων.

υες γαρ ορα και υες ακρει.

τ' αλλα δε τυφλα, και κωφα τυγχανει
 λογων δεομενα.

utraque loca iis valde similia sunt, quae Sextus (VII. 126 - 30.) ex Heraclito adduxit. Eodem modo conspirat famosum illud Heracliti dogma a Platone (p. 54. in Cratylo) aliisque multis celebratum: *ιεναι τε παντα και μενειν εδεν*, cum illis Epicharmi versibus, quae Grotius ex Diogène Laërtio mutuatus est: (p. 479.)

και τας ανθρωπων. ο μεν γαρ αυξεται ο δε γα μιν
 φθινει.
 εν μεταλλαγα δε παντες εντι παντα τον χρονον.

και το δη κωγα χθες αλλοι. και νυν αλλοι τελειομενες,
 κευθις αλλοι, κηποκ' αυτοι τελειομενες κωττορ
 λογον.



suum in templo Dianae deposuisset, illudque posterioribus quoque aetatibus in paucorum tantum manus pervenerit. Statuamus itaque oportet, vel Epicharmum, quod parum verisimile est, in eadem cum Heraclito placita casu incidisse, vel eundem fama forsan Heracliti placita accepisse *), vel omnes illos versus, qui cum Heracliti reliquiis atque opinionibus insignem aliquam similitudinem habent, fictos esse. Sive vero hoc sive illud lectoribus probabitur; omnes vident, fatis mihi causae fuisse, quare in recensendis Pythagoreorum doctrinis Epicharmi fragmenta vel falsa, vel Heracliti philosophiam sapientia non citaverim.

Multo vero graviores rationes me permoverunt, quare de Ocello Lucano eoque libro,
qui

*) Hoc omnium maxime probabile mihi videtur, quod Plato illum (p. 73.) in Theaeteto inter illos refert, qui omnia fluere, nihil vero stare, vel in eodem loco manere statuerint. Πρωταγορας δε και Ηρακλειτος και Εμπεδοκλης, και των ποιητων οι ακροι της ποιησεως εκατερως, κωμοδιας μεν Επιχαρμος, τραγωδιας δε Ωμηρος etc. Si quae igitur fragmenta ab Epicharmo profecta sunt, ea certe sunt, quae paulo ante citavi.



qui ipsi adscribitur, tam pertinax silentium observaverim. Primum enim viri hujus aetas plane incerta est, quod nemo antiquus scriptor eam definivit, praeter fictae Epistolae auctorem, qui Archytæ nomine ad commendandos suppositivos Ocelli libros abusus est. (VIII. 88. Diogen. Laert.) Hunc si sequimur; Ocellus ita antiquus fuit, ut Archytas ipsius nepotes viderit, et Ocellus itaque non longe a Pythagoræ aetate abesse potuerit. Quod qui credere, simulque Ocellum Lucanum pro saepius nominati libri auctore habere vellet; is certe summam universae antiquae historiae ignorantiam proderet. Licet enim Ocellum divino paene ingenio fuisse concederemus; statuendum tamen foret, non supra ipsius tantum, sed cujusvis hominis vires fuisse, rudi ac nondum elaborata Graecorum lingua, quam tertia demum post Pythagoram aetate Democritus, Zeno, Gorgias ceterique veteres Sophistae ad philosophorum notiones exprimendas aptam reddiderunt, tanta verborum perspicuitate scribere, quantam in hoc libro deprehendimus. Prorsus incredibile est, eadem fere aetate, qua Xenophanes, Parmen^{is}



des atque Empedocles suas cogitationes poetarum imaginibus atque figuris includere coacti sunt, atque Heraclitus post Pherecydem alter prosae Graecorum orationis conditor, linguae egestate in impenetrabiles sermonis tenebras praecipitatus est, eadem inquam aetate unum hominem summa haec ingenia in fingendo et locupletando patrio sermone adeo superasse, ut sensus suos planius atque enucleatius exprimeret, quam ne Plato quidem multis post illum annis facere potuit. Non amplius vero urgebo hoc argumentum, quum manifesta in hoc libro indicia reperiantur, illum neque a Pythagoreo homine, neque ante Platonis atque Aristotelis tempora scribi potuisse. Quodsi enim Pythagorae discipulum auctorem haberet; qua quaeso ratione fieri potuisset, ut universo commentario ne unicum quidem verbum de unitate atque numeris immisceretur, e quibus non solum priscos, verum etiam feriores Pythagoreos mundum eduxisse invictis supra argumentis demonstratum est. Si quis autem objicere vellet, verum et genuinum Pythagoreum hac de numeris doctrina propterea carere potuisse, quod eam ad exercendam tantum nondum



dum initiatorum patientiam inventam fuisse probabile fit; ille profecto invitus proderet, sese ne primis quidem labris Pythagoreorum disciplinam degustasse. Quidquid enim veteres de cujusvis aetatis Pythagoreorum opinionibus tradiderunt, illud omne probat, hanc ipsam doctrinam totius ipsorum philosophiae caput vel fundamentum fuisse. Nihil vero Libri de universi natura antiquitatem magis suspectam reddit, quam quod Plato neque hujus Ocelli, neque opinionis de mundi aeternitate mentionem fecit. Frustra vero hoc loco diceretur, Platonem hanc sententiam quidem cognitam habuisse, non commodam vero ejus vel indicandae vel refellendae occasionem invenisse. Quicumque enim ipse Theaetetum atque Sophistam legit, ille dubitare non potest, quin Plato dogma de sempiterno mundo memoraturus fuerit, si illud tum temporis pervulgatum, vel ipsi tantum notum fuisset. In his enim dialogis non solum suam de rerum natura atque origine opinionem luculentissime exposuit, verum etiam opposita ipsi antiquiorum Physicorum decreta refu-



tavit *) neque tamen unquam de Pseudo Ocello, ejusque opinione locutus est, quum haec inter Heracliti et Parmenidis placita media quasi interjaceret. His argumentis illud denique addam, Aristotelem nempe decretum hoc de mundi aeternitate ubique tanquam suum proferre, nec unquam antiquiorem ipsius inventorem memorare. Hanc rationem omnibus satisfacturam esse puto, uno forsan alterove excepto, qui Aristotelem non magis quam Platonem vel Pythagoreorum disciplinam norunt, et magnos antiquitatis viros ex sui ingenii stupore atque animi imbecillitate metiuntur. Nihil enim magis incredibile est, quam Aristotelem hujus unius sententiae auctorem siluisse, quum omnium priscarum doctrinarum, et earum quoque, quibus ipse accedit, repertoires semper nominet, neque unica notio vel cogitatio adduci possit, cujus inventionis gloriam ipse aliis eripere, sibi que vindicare ausus sit. Si quis vero de Aristotelis animo tam male etiam judicat, ut eum tanta

*) Vide in p. p. 73. 74. 83. 86. in Theact. p. 108-111. in Soph. Ed. Gr. Bas.



tæ fraudis reum cogitare possit; nemo tamen nisi mortalium impudentissimus de summi viri prudentia adeo desperare audebit, ut credere sustineat, eum ex Pythagorei hominis, cujus sectam Aristoteles toties impugnaverat, commentario non solum illustre aliquod inventum, sed integrâ quoque loca ne verbis quidem mutatis transcripisse. Hoc saltem ab Alexandri praeceptore exspectari debet, illum, si furtum quoque facere voluisset, ejusmodi tamen maleficium arte quadam tegere studuisse, ne sine ulla defensionis spe manifesti aliquando latrocinii convinci possit *).

Adver-

*) Attenti quivis hujus libri lectores facile observabunt, cum licet maximam partem ex Aristotelicis centonibus consutum, multis tamen Platoniceis verbis tanquam geminis distinctum esse. Has voces Platoni proprias alio loco excerpam, eodem nimirum, quo Timæi Locræ, Philolai, Archytæ aliorumque Pythagoreorum fragmenta ad severius examen revocabo, quo labore in præsentem eo facilius susperfedere possum, quum omnes hi viri iis acratibus vixerunt, quarum dogmata nullo modo ad priscos Pythagoreos referri possunt.



Adversus has firmissimas argumentorum copias parum valent Philonis, Sexti, (X. 316. advers Mathemat.) et quorundam Platoniorum loca, quibus vel liber de universi natura, vel opinio saltem de mundi aeternitate Ocello tribuitur. (vide opusc. Myth. etc. a Gale collecta p. 507.) Omnium enim horum scriptorum loca nihil amplius probant, quam hunc commentarium ante Philonis aetatem fictum esse, et tam hujus scriptoris quam sequentibus temporibus homines parum cautos atque sagaces existisse, qui fraudem odorati non sint. Ipsa tamen Philonis verba declarant, ea tempestate paucos tantum adeo credulos fuisse, ut mundi aeternitatem non ab Aristotele, verum a Pythagoreis quibusdam excogitatum esse sibi persuaderent: maximam vero doctorum hominum partem hoc quaecunque inventum Aristoteli vindicasse. Illud etiam nemini mirum videri potest, jam primo post Christum natum saeculo Pythagoreis libros affictos fuisse. Haec enim rabies antiquis viris libros subjiciendi longe ante aerae nostrae initia Graecos invaserat, uti non solum ex Ciceronis, falso Zaleuci Legum prooemio decepti, exemplo,



verum etiam ex Ammonii testimonio (vide Me-
nag. ad Diog. V. 35.) et praeclaris Dionysii fra-
gmentis apparet, quibus veterum Oratorum me-
rita, et veros eorum ac supposititios libros di-
judicat. Neque illud tandem singulare est,
Sextum iisdem vel similibus insidiis circumven-
tum esse, in quas ante illum Cicero inciderat.
Idem enim vir alio loco, quem supra adduxi,
Onomacrito sententiam quandam adsignavit,
quam nunquam ab ullo veterum traditam fuisse
ex Aristotele scimus. Suspicio vero, Sextum
ipsum Pseudo-Ocelli librum non vidisse, sed
alterius potius scriptoris iudicium, qui quātam
naturam non ab Aristotele, sed ab Ocello Lucano
invectam esse dixerat, nimis inconsiderate re-
petiisse. Quodsi enim hunc librum ipse usur-
passet; illius profecto, quasque complectitur,
opinionum saepius mentionem fecisset. — Pla-
tonicorum denique et Stobaei auctoritates nemi-
nem perturbare possunt, nisi qui ignorat, hosce
homines innumeros alios fictos commentarios
pro veris habuisse, atque vel opiniones vel loca
ex iis adduxisse.

SECTIO TERTIA.

*Quae Eleaticorum de universo et divina
natura opiniones complectitur.*

Inter Pythagorae aequales *) nemo majorem sapientiae famam consecutus est, quam Xenophanes Colophonius, qui Diogene teste (IX. 18.) valde juvenis patria expulsus in Italiam, atque Siciliam commigravit et Veliam denique urbem sedem ac domicilium sibi delegit, ubi Eleaticorum philosophorum princeps factus est. Hujus quoque viri decreta duce Aristotele exponam, cujus testimoniis ceterorum inter se pugnantium scriptorum loca facile vel conciliari et illustrari, vel etiam refelli possunt.

Xeno-

*) Floruit Xenophanes circa LX. Olymp. vide Diog. l. c.



Xenophanes itaque hoc tanquam totius disciplinae suae fundamentum posuit *), nunquam aliquid neque ex nihilo, neque ex re quadam, quae antea fuisset, existere potuisse. Alterum propterea locum non habere, quod cuius rei, quae gignatur, certa quaedam materia subjecta esse debeat. Alterum vero propterea cogitari non posse, quod dici non queat, aliquid ortum esse vel existere coepisse, quod jam antea fuerit. Quum igitur nihil unquam ortum sit, neque etiam gigni potuerit, sequi omne illud, quod re vera existat, (το ον) aeternum atque infinitum esse, quum nullum aliquando initium sive principium habuerit, neque finem etiam habiturum sit **); (vide etiam Platonem p. 140. Ed;

*) De dogm. Xen. c. I. et Phys. Aufc. I. c. 8.
 και φασιν οτε γινεσθαι των οντων οθεν, οτε
 φθειροσθαι, δια το αναγκαιον μεν ειναι γιγνεσθαι
 το γιγνομενον η εξ οντος η εξ μη οντος. εκ
 δε τετων αμφοτερων αδυνατον ειναι. οτε γαρ το
 ον γιγνεσθαι. ειναι γαρ ηδη. εκ δε μη οντος
 οθεν αν γενεσθαι. υποκεισθαι γαρ τι δει.
 και ουτω δη το εξεξης συμβαινον αυξοντες, οδε
 ειναι πολλα φασιν, αλλα μονον αυτο το ον.

***) Quodsi Simplificium audire volumus; Xenophanes unum suum sive Deum neque finitum esse
 X neque



Ed. Bas. Gr.) Quidquid vero infinitum sit, illud quoque unum (το ἓν) esse oportere. (vide Plat. p. 106. Arist. Phys. Auscult. I. 2. et de Gener. et Corrupt. I. c. 8.) Quodsi enim quis vel duas
 vel

neque infinitum esse voluit. (fol. 6. Comment. in Phys. Arist.) και ετε δε απειρον ετε πεπερασμενον ειναι. διοτι απειρον μεν το μη ον, ως ετε αρχην εχον, μητε μεσον, μητε τελος. περαινειν δε προς αλληλα τα πλειω. Idem vero Aristotelis enarrator paucis interjectis sibi ipse contradicit. Ait nempe: αλλ' οτι μεν ετε απειρον ετε πεπερασμενον αυτο δεικνυσιν, εκ των προειρημενων δηλον. „πεπερασμενον δε και „σφαιροειδες αυτο, δια το πανταχοθεν ομοιον „λεγει.“ Ex illis porro testimoniis, quae Simplicius hoc loco adducit, intelligitur, jam veteres Scriptores in explicanda Xenophanis sententia valde inter se discrepasse. Nicolaus enim Damascenus, celeberrimus Aristotelis interpres, huic philosopho, quem ipse maxime probabat, adstipulabatur, et Xenophanem unum suum pro infinito atque immoto habuisse existimabat. Alexander contra Aphrodisaeus in illa opinione erat, ceterorum Eleaticorum ducem ac parentem Deum sive unitatem finitam atque Sphaerae similem appellasse. — Nec hoc denique tacere possum, ex Simplicii testimonio Xenophanem unum neque in motu neque etiam sine motu esse voluisse. Παραπλησιως δε και την κινήσιν αφαιρει, και την ηρεμιαν. ακινήτον μεν γαρ ειναι το μη ον. ετε γαρ εις αυτο ετερον, ετε αυτο προς αλλο ελθειν. κινεισθαι δε τα πλειω τε ενος, ετερον γαρ εις ετερον μεταβαλλει. Ex hac Simplicii narrationis parte suspicari quis posset, illum Xenophanis dogmata cum Zenonis decretis confundisse.



vel plures res infinitas fingere velit; facile appa-
 rere, plures ejusmodi naturas se invicem ter-
 minaturas vel circumscripturas esse, et unius-
 cujusque igitur infinitatem extinctum iri. Ex
 hac porro unitate efficiebat Xenophanes, omne,
 quod existat, semper idem ac sui simile esse.
 Ubiunque enim dissimilitudo vel diversitas in-
 veniatur, ibi non posse non multa vel multitu-
 dinem existere. Aliis vero argumentis vincere
 anhitebatur, unum hoc sine omni motu esse *).
 Dicebat nempe, quatinvis rem, quae moveatur,
 vel in locum aliis corporibus vacuum concedere,
 vel in ejusmodi quoque spatium venire, quod
 aliis corporibus repletum sit. Primum pro-
 pterea fieri non posse, quod locus aliis cor-
 poribus occupatus unum illud admittere non
 queat. Alterum vero idcirco cogitari non
 posse, quod inane spatium nihil sit, vel prae-

X 2

sus

*) Recte itaque judicabat Aristoteles, Xenophanem
 ejusque successores omnem motus causam su-
 stulisse. Met. A. cap. ζ. p. 18. Ὅσοι μὲν εἶ-
 ἐν τε τὸ πᾶν καὶ μίαν εἶναι τινὰ φύσιν ὡς ὕλην
 τίθεσσι, καὶ ταύτην σωματικὴν, καὶ μεγέθος
 ἔχουσιν, δὴλον, ὅτι πολλαχῶς ἀμαρτανῶσι —
 καὶ περὶ πάντων φυσιολογῶντες, τὴ τῆς κινή-
 σεως αἰτίον ἀναιρῶσι.



sus non existat. Postremo hoc sibi persuasum habebat, unum neque doloribus, vel morbis et interitui obnoxium esse, neque etiam transformari vel cum aliis rebus misceri, vel alio denique transferri posse. Harum enim mutationum nullam neque sine motu, neque etiam ita fieri posse, quin unum vel unitas pereat. Quum vero harum opinionum inventor probe perspiceret, eas omnium sensuum testimoniis refelli; non dubitavit, hos rerum externarum nuntios atque interpretes tanquam falsos testes repudiare, ac solam mentem vel rationem veritatis iudicem constituere (Arist. c. I. *).

A proposito meo valde alienum foret, omnes, quos Xenophanes admisit, errores, vel recensere vel confutare. Non possum tamen non animadvertere, Eleaticae sectae conditorem naturam quandam divinam, omnium rerum effectricem, atque ab hoc universo distinctam

tam

*) De veritatis vel verisimilitudinis norma ac regula, quam Xenophanes secutus est, plura apud Sextum inveniuntur, (VII. advers. Math. 49-52. et f. 110.) qui tamen non semper sibi consistere videtur.



tam diu cognoscere et credere non potuisse, quam diu unum illud aeternum, infinitum atque immotum defendebat. Certum vero est, eundem unum suum, vel rerum universitatem, quae ipsi una continua vel perpetua natura esse videbatur, quamque omnibus fere divinis virtutibus, aeternitate nempe, immensitate et immutabilitate *) condecorabat, pro unico et summo Deo habuisse. Hanc ipsi opinionem Aristoteles memorabili illo loco tribuit, (I. 5. Met. **) quo testatur, Xenophanem coelum suspexisse, et unum sive unitatem Deum esse pronuntiasse. Inter serioris aetatis auctores Cicero eo loco, quo non simulato, sed ex animo loquitur (Acad.

X 3

Quaest.

*) Imo etiam sensu et mente, (Sext. I. Hyp. Pyrrh. 225. et Diogenes IX 19.) quarum virtutum mentionem ex mutilato Aristotelis loco excidisse conjicio. Huc pertinet etiam Simplicii testimonium, et insigne, quod servavit, Xenophanis fragmentum: και παντα δε νοειν φησιν αυτον, λεγων, αλλ'απανεσθε πονοιο νοε φρεσιν παντα κρεδαινει. (l. f. c.)

**) P. 14. Ξενοφανης δε πρωτος τετων ενισμας (ο γαρ παρμενιδης τετα λεγεται μαθητης) εδεν διασαφησεν, εδε της φυσεως τετων εδετερως εοικε διγειν. αλλ'εις τον ολον κρανον αποβλεψας το εν ειπαι φησι τον δεον.



Quaest. IV. 37. *) Xenophanis Deum ita descripsit, uti hunc virum divinam naturam sibi cogitasse ex Aristotele modo a me demonstratum est. Alio vero libro, (de N. D. I. c. 11.) quo Vellejum priscorum philosophorum dogmata corrumpentem inducit, ejusdem Xenophanis opinionem adeo pervertit, vel tanta saltem verborum ambiguitate exposuit, ut illum praeter infinitum mundum mentem quoque a mundo diversam statuisse tibi persuadere queas. Neque etiam Sextus satis sibi constare videtur, nisi eum ex Aristotelis testimoniis et altero Ciceronis loco interpretemur. Modo enim, et id recte quidem, ait, Xenophanem Deum sphaeram impatibilem nominasse; (Hypotyp. Pyrrh III. 218.) alibi vero narrat, (I. 225. **) physico huic placuisse, universum unum, Deum vero mundo

*) Xenophanes paulo etiam antiquior, unum esse omnia, neque id esse mutabile, et id esse Deum, neque natum usquam et sempiternum, et conglobatam figuram.

***) Εδογματιζε δε ο Ξενοφανης παρα τας των αλων ανθρωπων προληψεις, εν ειναι το παν, και τον Θεον συμφυη τοις πασι. ειναι δε σφαιροειδη και ακαθη και αμεταβλητον, και λογικον.



mundo συμφωνί, id est, cum rerum universitate eundem esse. Hoc enim modo vox συμφωνίς explicari debet, vel etiam statuendum est, Sextum hoc vocabulo parum tempestive usum esse.

Cum haec adductis ea satis conspirant, quae Diogenes (IX. 19. *) et Pseudo-Origenes (p. 96.) de Xenophanis Deo, ejusdemque de universo sententia memorant. Falsa vero et ex commenticiis **) sine dubio carminibus illa

X 4.

hausta

*) Ουσίαν θεῶν σφαιροειδῆ, μηδὲν ὁμοίον εἶχσαν ἀνθρώποις. ὅλον δὲ ὄραν, καὶ ὅλον ἀκρίειν, μή μόντοι ἀναπνεῖν. συμπάντα τε εἶναι, νῦν καὶ φρονήσειν καὶ αἰδῖον. Cum Diogene atque Aristotele consentit Simplicius, testans: τὸ γὰρ ἐν τῷτο καὶ πᾶν θεὸν εἶλεν ὁ Ξενοφάνης.

**) Huic quoque viro carmina afficta esse, praeter Diogenis et Pseudo-Origenis errores iis quoque versibus demonstratur, quos Henricus Stephanus (in Poet. phil. p. 36.) c Sexto adduxit:

ἐκ γαίης γὰρ πάντα, καὶ εἰς γῆν πάντα τέλειτα.

Πάντες γὰρ γαίης καὶ ὕδατος ἐκγενομένοια.
 Uterque enim non solum inter se et cum ceteris Xenophanis decretis pugnat, verum alter etiam expresso Aristotelis testimonio confutatur, (Met. I. c. 7. p. 18.) quo neminem terram principium posuisse affirmat.



hausta sunt, quae uterque de elementorum et mundorum multitudine, natura et conversionibus Xenophaní tanquam inventori assignat. Haec enim non solum Aristotelis, Ciceronis et Sexti, verum etiam ipsis horum hominum testimoniis repugnant. Non refellam tamen singillatim eorum errores, neque etiam in reliquis Xenophanis opinionibus immorabor, quippe quae a proposito meo, et iis rebus, quas hoc loco mihi illustrandas sumsi, nimis remotae esse videntur. Hoc unum tantum de summo viro adjiciam, illum forsan omnium primum tanta audacia fuisse, ut non solum Homeri atque Hesiodi impias fabulas, verum flagitiosas quoque vulgi superstitiones sine ulla simulatione impugnet, eorumque, qui Deos vel nasci vel mori posse arbitrabantur, vel insaniam irrideret, vel impietatem quoque castigaret. (vid. ejus fragmenta in Stephani Poesi phil. p. 36. 37. Cic. de Divinat. I. 3. Plut. in princ. comment. de Iside et Osiride, denique Arist. Rhetor. II. 20.) Aristoteles praeterea narrat, (l. c.) Xenophanem Veliae civibus consulentibus illum: an Leucotheam luctu ac lachrymis prosequi,



sequi, simulque sacrificiis colere deberent, respondisse: si Dea ipsis videretur, ne illam lugerent, si vero mortalem e mortalibus parentibus natam existimarent, ne illi sacrificia offerrent.

Hujus discipulus fuisse perhibetur Parmenides, (I. 5. Met. Ar.) qui Diogene teste circa LXIX. Olymp. floruit, atque Heraclito igitur aequalis, Anaxagora vero atque Empedocle paulo antiquior fuit. In eo quidem Parmenides cum doctore suo consentiebat, omnia unum, et id quidem aeternum, immortale, immotum, neque mutationi magis quam corruptioni obnoxium esse. (Phys. Auscult. Arist. I. c. 2.) In hoc vero a Xenophane discedebat, quod unum suum ipsi non infinitum, sed finitum videbatur. (Plato p. 106. in Sophista, Arist. de dogm. Xenoph. c. 2. Phys. I. 2. III. 6.) quodque sensuum quasi testimoniis coactus praeter Unum ratione cognitum duas etiam causas, quibus omnia efficerentur, statueret, quas calidi ac frigidi, vel etiam lucidi et tenebricosi nominibus insigniebat. (Plato l. c. Aristoteles Met. I.



c. 3. 5. *) et Plut. adverb. Colotem X. p. 583.) Ignem nempe five calidum illam causam esse existimabat, quae omnia efficeret: frigidum vero eam materiam, e qua omnia gignerentur. Jam vero vel cum Platone statuendum est, (p. 106.) Parmenidem inscium turpissime sibi ipsum contradixisse, quum praeter unum, quod non tollebat, dua alia rerum principia poneret, vel etiam Aristoteli adsentiamur oportet (Met. I. 5.) testanti, Xenophanis successorem secundum rationis effata unam tantum naturam reliquisse, secundum sensuum vero testimonia, quae ipse tamen tanquam nulla fide digna rejiciebat, (Sext. VII. III. Diog. IX. 22. Plut. ap. Euseb. I. 8. Arist. Met. Lib. γ. c. ε. p. 62.) duas rerum causas defendisse. Ego quidem Aristotelem potius quam Platonem sequens arbitror, Parmenidem
revera

*) Παρμενίδης δε μαλλον βλεπων εοικε πρ λεγειν. Παρα γαρ το ον, το μη ον ηδεν αξιων ειναι, εξ αναγκης εν οιεται ειναι το ον, και αλλο ηδεν. . . . αναγκαζομενος δ' ακολουθει τοις φαινομενοις, και το εν μεν κατα λογον, πλειω δε κατα την αισθησι υπολαμβανων ειναι, δυο τας αιτιας και δυο τας αρχας τιθεισι παλιν, θερμον και ψυχρον. Vide etiam Simpl. fol. 9. l. c.



revera omnia unum esse credidisse, et verbis tantum duas alias causas statuisse. Ratio vero, qua in ejusmodi opinionem adductus sum, haec est: quod Parmenides in sua de uno sententia firmiter permansit, idem vero in suis de causa efficiente vel divina natura decretis et dictis tam parum sibi constitit, ut hominum sensus non magis inter se pugnare ipsi videri potuerint. Modo enim vim illam, quae omnia gigneret et generasset, Stephanen sive continentem ardorem appellavit, qui universum coelum cingeret; (de N. Deor. Cic. I. II.) modo vero ad eandem naturam designandam vel amoris (Arist. Met. I. 4. Sext. IX. 9. Poesis Phil. p. 44.) vel etiam necessitatis (Plat. in Convivio *) verbo usus est. Nisi igitur dicere volumus, Parmenidem Xenophani adstipulantem omne universum, quod unum sit, pro Deo habuisse, idque solum omnibus praestantissimis virtutibus

or-

*) Lege etiam sequentes Parmenidis versus: (ap. Simplicium I. c. fol. 7.) Ταυτον δε ον, εν ταυ-
τω δε μενον, κατ'εαυτο κειται, ουτως εμπεδου
αυτη μενει. κρατερη γαρ αναγκη περιεχει
τος εν. δεσμοισιν χει τε μη, αμφις περιεχει.



ornasse, igneum vero orbem, nec non amorem et necessitatem Poetarum more atque licentia Deorum nominibus honorasse; fatendum est, illum toties ipsum sibi contradixisse, ut operae pretium non sit, perscrutari velle, quid ipse diversis temporibus de Deorum vel rerum natura somniaverit.

Huic meo de Parmenide iudicio pauca quaedam adjiciam, quae harum rerum curiosis et intelligentibus non injucunda fore existimo. Primum igitur lectores moneo, versus illos, quos Clemens Alexandrinus citavit, (vide Poes. Phil. p. 44. *) non de unico Deo, a mundo di-

ver-

*) Παρμενίδης δε ο μεγας (ως φησιν εν σοφιστη Πλατων) ωδε πως περι τε θεου γραφει.

πολλα μαλ'ως αγενητον εον και αναλειθρον
 εστιν,
 ελον, μβιογενες τε και ατρεμες, ηδ' αγενητον.

Hic Clementis error illi valde similis est, quo ex sequentibus versibus Deum omni corpore vacantem Xenophani assignat:

εις θεος εν τε θεοισι και ανθρωποισι μεγιστος
 εστι δεμας θνητοισιν ομοιος εδε νοημα,
 εν γην (haec verba citatis versibus praemittit)
 και Ξενοφανης ο κολοφωνιος διδασκων οτι εις
 και απωματος ο θεος, επιφερει. Quum igitur Cle-

Cle-



verso, verum de ipsa rerum universitate intelligendos esse. Inter eas porro opiniones, quas Plutarchus in libro suo adversus Colotem (X. p. 582.) Parmenidi tribuit, multae inveniuntur, quas ipsi propriae non fuisse doctus scriptor ex Aristotele et Platonis Sophista scire potuisset. Erravit vero Plutarchus nullam aliam ob causam, nisi quod falso sibi persuaserat, ea omnia, quae Plato Parmenidis ore in ejusdem nominis dialogo protulerat, ab hoc viro profecta esse. Hoc vero commentario Parmenidis personam adeo non servavit Plato, ut eum inultas argutias vel ineptias effundentem introduxerit, quae Zenone vel etiam Sophista quodam magis quam Parmenide dignae erant *).

PAR:

Clemens, qui reliquos veteres Christianorum doctores omnes vera eruditione superavit, priscos poetas adeo perverse interpretatus sit; facile intelligunt lectores; quantum fidei reliquis habendum sit.

- *) Alio modo erravit Simplicius, quippe qui ex praeclaris Parmenidis atque Melissi fragmentis, quae nobis servavit, multas opiniones exculpfit, quarum ne minimum quidem vestigium in illis deprehenditur. Persuaserat nempe sibi do-



Parmenidi successit Zeno Eleates, quem viginti quinque annis praeceptore suo juniorem fuisse

doctus ceteroquin Aristotelis interpres, antiquiores Philosophos in univetsum omnes tam inter se quam cum Platone et Aristotele consentire. (fol. 7. p. 1. et fol. 8. 2. ipsi. Com. in Arist. Phys.) Ut hoc itaque iudicium suum probaret, omni studio vincere anitebatur, Eleaticos sub uno suo non corporeum aliquod principium, vel omnem rerum universitatem, verum incorporalem aliquam substantiam sive primum illud intellexisse, quod verè sit, et sola mente cerni et intelligi queat. (fol. 5. p. 2. fol. 9. 1. 17. 2. 19. 1. 22. 2. 2. 1. in p. 31. 1.) Quod vero Parmenides atque Melissus uno suo non concretam quandam atque partibus constantem naturam significarint, exinde praesertim concludebat, quod illud individuum (*adiavgetov*) appellassent. Ab hoc errore ad aliam non minus falsam persuasionem progreditur: Aristotelem nimirum doctrinam suam de substantia quadam, omnia movente, ipsa vero immota, ab Eleaticis derivasse (fol. 17. p. 2.) iisque igitur saepius sine ulla causa contradixisse. (fol. 19: 1.) Ad haec signimenta refellenda ne hoc quidem proferam, neque Aristotelem neque Platonem, neque ullum alium priscum scriptorem tale aliquid in Eleaticorum libris invenisse, quale Simplicius sibi vidisse visus est. Indicabo potius fontes, unde viri hujus nugae profluxerunt, et illustre quoddam Melissi fragmentum transcribam, e quo neminem non intellecturum esse confido, clarissimum Saniolorum ducem cum Xenophane sensisse, eaque dogmata defendisse, quae Aristoteles ipsi atque Xenophanti tribuit.



fuisse ex Platone discimus. (vide ejus Parm., p. 138.) Hujus viri decreta non piget hoc loco

ex.

Simplicium itaque illae Parmenidis atque Melissi voces in fraudem induxerunt, quibus unum suum vel individuum et continuum (συνεχές, αδιαίρετον) vocarunt, vel idem corpus non habere pronuntiarunt (fol. 19. 1.) Prioribus vero istis vocabulis nihil aliud dicere voluerunt, quam unitatem continuam aliquam naturam esse, quae licet partium non expers individua tamen sit, atque in partes secari non queat. Altera vero dicendi formula Melissus hanc sine dubio sententiam complexus est: unum ab hominum atque animantium corporibus diversum, neque ex dissimilibus membris et partibus coagmentatum esse. Quod vero Melissus tum, quum de uno loqueretur, de incorpore aliqua natura non cogitaverit, ex sequenti fragmento patet, quod ipse Simplicius ex viri hujus libro transcripsit: Εἰ μὲν μὴδὲν ἐστὶ, περὶ τῆς τῆς αὐτῆς λέγουσιν ὡς οὐτος τις. Εἰ δὲ τι ἐστὶν, ἦτοι γινόμενον ἐστὶν, ἢ αἰεὶ οὐ. Ἀλλ' εἰ γινόμενον, ἦτοι ἐξ οὐτος ἢ μὴ οὐτος. Ἀλλ' ὅτε ἐκ μὴ οὐτος οἷον τε γενέσθαι τι, ὅτε ἄλλο μὲν ἔδεν οὐ, πολλὰ δὲ μακρὸν τὸ ἀπλῶς οὐ, ὅτε ἐκ τῆς οὐτος, εἴη γὰρ αὐτῶν καὶ ἔγγιγγοιτο. ὅτε ἀρᾶ γινόμενον ἐστὶ τὸ οὐ. ἀπὸ οὐ ἀρᾶ ἐστὶν. ὅτε φθαρσεται τὸ οὐ. ὅτε γὰρ εἰς τὸ μὴ οὐ οἷον τε τὸ οὐ μεταβάλλειν, συγχάσσεται γὰρ καὶ τῆς ὑποταγῆς φυσικῶν. ὅτε εἰς οὐ. μὲνοι γὰρ αὐτῶν πάλιν οὐτῶν, καὶ ἔφθαιροιτο. ὅτε ἀρᾶ γενέσθαι τὸ οὐ, ὅτε φθαρσεται. αἰεὶ ἀρᾶ ἢν τε καὶ εἶσαι. ἀλλ' ἐπειδὴ τὸ γινόμενον ἀρχὴν ἔχει, τὸ μὴ γινόμενον ἀρχὴν ἔχει. τὸ δὲ οὐ ἔχει γένεσιν, ὅτε αὐτῶν ἀρχὴν. ἐπὶ δὲ τὸ φθαιρομένοιο τελευτὴν ἔχει. εἰ δὲ τι ἐστὶν ἀφθαιρομένοιο, τελευτὴν ἔχει. τὸ οὐ ἀρᾶ ἀφθαιρομένοιο, τελευτὴν ἔχει. τὸ



exponere, licet ipse Leucippo inferior, et Anaxagorae aequalis fuerit, temporumque igitur ratio-

δε μητε αρχην εχον, μηδε τελευτην, απειρον τυγχανει ον. απειρον αρα το ον. ει δε απειρον, εν. ει γαρ δυο ειη, εκ αν δυναίτο απειρα ειναι. αλλ' εχοι αν περατά προς αλληλα. απειρον δε το ον. εκ αρα πλείω τα οντα. εν αρα το ον, αλλα μην ει εν, και ακινητον. το γαρ εν ον, ομοιον αιει εαυτω. το δε ομοιον, ετ' αν απολοιτο, ετ' αν μειζον γιγνοιτο, ετε μετακοσμεοιτο, ετε αλγει, ετε ανιαται. ει γαρ τι τριτων πασχοι, εκ αν εν ειη. το γαρ ην τινα εν κινήσει κινημενον, εκ τινος και εις ετερον τι μεταβαλλει. εδεν δε ην ετερον παρα το ον, εκ αρα τριτο κινησεται. και κατ' αλλον δε τροπον εδεν κενον εσι τρι οντος. το γαρ κενον εδεν εστιν. εκ αν εν ειη το γε μηδεν. ε κινείται εν το ον. υποχωρησαι γαρ εκ εχει εδαμη κενε μη οντος. αλλ' εδε εις εαυτο συσπληναι δυνατον. ειη γαρ αν ετως αραιότερον αυτε και πυκνότερον. τριτο δε αδυνατον. το γαρ αραιον αδυνατον ομοιωσ ειναι πληρες τω πυκνω. αλλ' ηδη το αραιον γε κενότερον γινεται τρι πυκνω. το δε κενον εκ εστιν. ει δε πληρες εσι το ον η μη, κρινειν χρει, τω εισδεχισθαι τι αυτε αλλο η μη. ει γαρ μη εισδεχεται, πληρες. ει δε εισδεχοιτο τι, ε πληρες. ει εν εσι μη κενον, αναγκη πληρες ειναι. ει δε τριτο, μη κινεισθαι. εκ οτι μη δυνατον δια πληρες κινεισθαι, ως επι των σωμάτων λεγομεν. αλλ' οτι παν το ον ετε εις ον δυναται κινεισθαι, ε γαρ εσι τι παρ' αυτο, ετε εις το μη ον. ε γαρ εσι τρι μη ον. (fol. 22. p. 2. vide alias Melissi reliquias fol. 9. p. 1. 15. p. 1. fol. 19. l. f. 23. p. 2. in p. fol. 24. p. 1.) sicuti vero Melissus omnia fere reliqua Xenophanis decreta adoptavit, ita quoque



raciones, quas diligenter servare mihi proposueram, paululum conturbentur. Nulla tamen exinde rerum confusio timenda est, quod Zeno *) Anaxagorae inventa vel prorsus ignorasse, vel iis saltem uti noluisse videtur.

Zenonis vero philosophiam nemo melius Aristotele exposuit, qui eam non solum singulari quodam libello, (de dogm. Zenonis) verum etiam in ceteris voluminibus complexus est et illustravit. Ex hoc itaque scriptore discimus, Zenonem cum Xenophane statuisse, si quid existat, illud nunquam oriri vel gigni potuisse, eumque hanc enuntiationem statim ad Deum applicasse. Negabat igitur, Deum unquam initium habuisse, quod neque ex natura ipsi simili, neque etiam ex dissimili existere potuisset. Nullam enim causam esse, quare simile a simili gignatur potius, quam illud

que illum hunc ducem suum in contemnendis popularibus Graecorum Diis securum esse conicio. Diogene enim teste de Deorum natura nihil definiendum esse dicebat, neque enim certam eorum cognitionem esse. IX. 24.

*) Idem quoque de Democrito dici potest.



illud gignat, quum in similibus omnia eadem plane se ratione habeant. Ex materia vero toto genere diversa Deum generari potuisse, propterea negabat, quod ex ejusmodi opinione plura sequantur, quae ratio ipsa respuat. Alterutrum nempe statuendum esse, aut fortius e debiliori, majus e minori, meliusque e pejori, aut contra rem minus excellentem e praestantiori effectam esse. Quorum neutrum cum cogitari possit, sequi, Deum aeternum esse. Quod si vero hoc tanquam verum concedatur, de quo nemo unquam dubitaverit, Deum omnium praestantissimam et optimam naturam esse, illud quoque concedi oportere, unum tantum Deum existere. Quum enim divina natura et virtus in eo consistat, ut omnibus rebus praestet, a nulla vero vincatur, facile intelligi, illam neque excellentissimam et optimam, neque maximam vel fortissimam amplius futuram esse, si vel duo vel plures Dii existerent. Si quis enim multos Deos cogitet, illum non posse non eosdem vel pari, vel dissimili etiam virtute et potestate fingere, quorum neutrum cum summa divinae naturae excellentia constare queat. Quem enim non videre,



si plures aequales Dii ponantur, de eorum nullo dici posse, illum omnia efficere valere, atque supra omnes res elatum esse; siquidem singuli alios sibi adjunctos habeant necesse sit, qui nulla re ipsis cedant, atque idem quoque efficere possint. Ex inaequalibus vero Diis eos in Deorum numero reputandos non esse, qui omnium summo ac potentissimo virtute atque potestate inferiores sint. Quum igitur certum sit, unum tantum Deum esse; aliter ne credi quidem posse, quam hunc unicum Deum sibi ipsi totum similem esse, atque omnibus sui partibus sentire atque percipere. Nisi enim concedatur, Deum quavis sui parte quodvis sentire atque intelligere; dicendum esse, quasdam divinae naturae partes ceteras vel superare, vel ab iisdem superari, quod utrumque Zenoni absurdum videbatur. Hunc porro sibi ubivis similem atque unicum Deum ita perfecte rotundum esse volebat, ut nihil in ipso lacunosum nihilque existans vel eminent inveniatur. Eundem tamen rotundum Deum neque finitum neque infinitum esse cavillabatur. Primum propterea negabat, quod infinitum plane non existat, quippe quod neque ini-



tium neque medium aliquod, neque finem habeat. Alterum vero idcirco rejiciebat, quod praeter Deum nihil existat, quod ipsum terminare vel circumscribere possit. Has argutias ita tandem concludebat, ut Deum neque motus expertem esse diceret, quod solum nihil (*μὴδὲν*) prorsus immotum sit, neque tamen in motu esse affirmaret, quandoquidem ad quemvis motum gignendum plura corpora requirantur, praeter Deum vero nihil aliud existat.

Tota haec Zenonis argumentatio satis ostendit, hunc virum non serio atque ex animo locutum esse, dum divinam naturam describeret, verum in gravissima re malam consuetudinem suam de quavis re in utramque partem disputandi retinuisse. Hic enim ille Zeno est, quem Aristoteles pugnacis dialecticae atque sophismatum sive fallaciarum conclusivularum primum inventorem vel amplificatorem fuisse testatur, quemque Plato in Parmenide tanquam subtilem nugatorem induxit, qui eandem rem vel opinionem omnibus vanae artis suae machinis modo tueri modo vero impugnare atque evertere solit-



tus fit. Non dubito itaque, illum inter homines istos referre, qui primi inter Graecos nondum adultam philosophiam corruerunt, atque ab investiganda veritate, moribusque regendis ad ingenii ostentationem transtulerunt. Quam igitur Zeno non tam quid ipse statueret, sed quomodo alios in stuporem et admirationem raperet, quaerere voluit; ridiculum sane foret, in conjicienda ipsius de Dei natura sententia, quam nullam certam habuit, tempus et operam consumere velle. Ceterum dolendum est, tanti ingenii atque animi virum difficilibus potius nugis alios vexare, quam veritatis vestigia, in quae ipse inciderat, persequi maluisse. Neminem enim inveniri puto, qui sine voluptate quadam eam Zenonis argumentationem legere possit, qua unum tantum Deum existere, plures vero ne cogitari quidem posse probare conatus est.

Nescio vero, quos auctores secuti sint Diogenes (IX. 30.) et Pseudo-Origines, quum Leucippum Zenonis auditorem fuisse scriberent. Hoc enim testimonium non solum veterum auctorum silentio, et summa Zenonis atque Leucippi opinionum diversitate suspectum redditur,



verum etiam cum temporum rationibus pugnare videtur: Quum enim certum sit, Democritum uno tantum anno ante Socratem natum esse, Socratem vero valde juvenem Zenonem in ipso aetatis robore constitutum audivisse; (vide Plat. l. c.) vix fieri potuisse videtur, ut Leucippus, Democriti praeceptor, ad Zenonem, terrarum quoque intervallis ab illo disjunctum, sese applicuerit. Quocunque vero modo res se habeat; hoc certe negari non potest, Leucippum in omnibus, hisque gravissimis quaestionibus ab Eleaticis philosophis non solum discesse, verum etiam illis quasi se opposuisse. Illi nimirum unum tantum rerum principium (*αρχήν*) statuebant: hic vero innumera: illi motum atque inane negabant: hic contra inane inter ipsa rerum principia referebat, atque corpuscula sua in sempiterno motu esse defendebat. Quamvis vero Leucippus philosophiam magis ad sensuum fidem, et communem opinionem accommodaret, in aedificandis tamen mundis non magis quam antiquiores philosophi divinae mentis auxilio usus est. In ea quippe opinione erat, in infinito inani, vel in hac immensitate latitudinum, longitudi-

num,



num, altitudinum innumerabiles volitare atomos, quae interjecto inani inter se cohaerescant, et aliae alias apprehendentes continuentur: unde tandem infinita vis mundorum, omniumque rerum formae, figurae atque genera exsiterint, et adhuc existant, (Diog. IX. 30-44.) Causam vero perpetuorum motuum, quibus individua corpuscula in perfecta corpora et mundorum moles conglobari putabat, vel prorsus silentio praetermisit (Arist. I. 4. p. 11. 12. *) vel eandem quoque necessitatem appellavit, (Diog. l. c.) cujus tamen vim atque naturam ab ipso explicatam non esse idem scriptor testatur.

Haec vero, ut Cottae apud Ciceronem verbis utar, Leucippi flagitia Democritus primus suscepit, quem Leucippum cognovisse atque ejus scripta legisse ex Aristotele satis notum est. Neque hic tamen, cujus ingenium atque inventa omnes Antiquitatis scriptores (excepto Platone)

Y 4

cer-

*) Λευκιππος δε, και ο εταiros αυτης Δημοκριτος, σοιχεια μεν το πληρες και το κενον ειναι φασι — περι δε κινήσεως, οδεν η πως υπαρχει τοις υσι, και ουτοι παραπλησιως τοις αλλοις ραδυμως εφησαν.



certatim summis laudibus extulerunt, rationem reddere tentavit, (Arist. l. c.) unde aut quomodo in atomis illi motus exstiterint, quibus ipsae agitantur, et innumerabiles mundi modo efficerentur, modo dissiparentur *). Quantum vero solertissimus hic naturae investigator a verâ ipsius auctoris cognitione aberraverit, ex nulla alia re magis, quam e divinis ipsius imaginibus vel simulacris intelligi posse existimo. Persuaserat enim sibi, certis temporibus simulacra immani magnitudine, atque ex atomis conflata ad homines accedere, iisque vel apparitionibus suis, vel vocibus suis futurum significare. Harum porro imaginum quasdam homini amicas, alias vero infestas esse putabat; easdemque difficulter quidem dissolvi, neque tamen sempiternas esse opinabatur. (Sextus advers. Math. IX. 19. 42.) Has imagines

De-

*) Quodsi Diogeni fidem habere volumus, Democritus quoque necessitate, quae ipsi cum *divy* sive vertigine eadem videbatur, in explicandis atomorum motibus abusus est. Cum Diogene consentit Sextus IX. 113. advers. Mathemat.



Democriti, patria, quam ipso Democrito digniores, eodem fere modo describit Cicero, (de Nat. Deor. I. 12. 43.) in eo tamen a Sexto discedit, quod Abderitam philosophum praeter simulacra sua naturam etiam, quae illa fundat, nec non principia, e quibus coalescant, denique intelligentiam nostram in Deorum numero habuisse testatur. Vix vero dubitari potest, Ciceronem duo saltem rerum genera, atomos nempe hominumque animas, quas Democritus forsitan divinas appellaverat, perperam inter Deos retulisse, licet illud facile concedam, Democritum de ipsa natura, quae omnia motibus atque ponderibus efficiat, tanquam de Dea quadam locutum esse. Sive vero Democritus solas imagines, diuturnas quidem, non vero immortales, sive etiam mentes nostras, quas cum corporibus interire putabat, sive denique atomorum multitudinem pro divinis naturis declaravit; illud profecto quemvis videre existimo, illum virum, qui ficticios ejusmodi atque mortales Deos credere atque ti-



mere sustinebat, verum Deum nondum cognovisse *).

*) Inter Elcaticos philosophos numerari etiam solent Diagoras Melius atque Protagoras Abderites, nullam credo aliam ob causam, nisi quod alter Deorum naturam funditus sustulit, alter vero Democriti discipulus fuisse dicitur, atque in libri cujusdam principio posuit: de divis neque ut sint, neque ut non sint, nihil habeo dicere. Cic. de N. D. I. 23, Diog. IX. 51. At vero Diagoras, qui circa Olymp. LXXV. vixit, nullum, quantum ego quidem scio, antiquum philosophum audivit, neque etiam disciplina quadam, sed sola doloris ex amissis carminibus suis concepti rabie ad negandam Deorum naturam impulsus est. Protagoras vero, uti alio loco pluribus ostendam, antiquior esse videtur, quam ut Democrito sese in disciplinam tradere potuerit. Hos tamen viros primos fuisse existimo, qui Graecorum Deos eorumque virtutes vel negarunt, vel in dubium vocarunt. Neutrum vero Athenis appellandum esse censeo, quod ea aetate vixerunt, qua Anaxagorae de mente divina opinio nondum pervulgata erat.



SECTIO QUARTA.

Qua Heracliti atque Empedoclis de rerum natura et ortu opiniones exponuntur.

Jam vero ad antiquiora tempora regredior, a quibus ipse quasi rerum ordo paulisper me abduxerat; et primum quidem Heracliti *), tum vero Empedoclis de rerum origine atque divina natura opiniones explicabo, antequam ad Anaxagoram transitum faciam.

Ad Heraclitum itaque quod attinet, negari non potest, tenebricosi hujus hominis placita atque effata diversis Graecorum interpretationibus adeo obscurata atque perversa esse, ut vix
 ulla

*) Ex Diogene notum est, Heraclitum circa LXIX Olymp. floruisse.



ulla spes superfit, eum ex suis, atque ab aliis ipsi offusis tenebris unquam emersurum esse, nisi ipsius potius fragmenta inter se, et cum antiquiorum scriptorum testimoniis comparare, quam recentiorum hominum sibi ipsis contradicentium somnia vel iudicia sequi malimus. Quicumque vero hac ratione in investigandis Heracliti decretis utitur, ille inveniat atque concedat necesse est, Ephesium philosophum ignem vel igneam naturam pro omnium rerum principio habuisse, e quo omnia oriantur, atque in quod omne, quod genitum sit, iterum recidat. (vide Aristot. Met. I. 3. Phys. Auc. III. 5. Diog. IX. 7. 8.) Si qui igitur vel minima quaedam corpora (Auc. de Plac. Phil. I. 13 *) et Stob. p. 32.) vel aera etiam (Sext. IX. 360.) ab Heraclito tanquam rerum principia posita esse existimarunt; illi vel obscuris quibusdam locis in fraudem inducti, vel solennes ipsi voces $\Psi\upsilon\chi\eta$ καὶ αἰθήρ *Supraeosis*, quibus ignem saepius denotabat **) non

*) Hic vero scriptor secum ipse pugnat. Capite enim tertio libri primi ad communem opinionem accedit.

**) Diog. IX. 9. II. Arist. de Anima I. 2.

non ex viri hujus mente interpretati sunt. Stabat porro Heraclitus, ex hac ignea natura perpetuis motibus et transformationibus primum cetera elementa, aera, aquam et terram effici, ex his vero omnia alia corpora gigni, quae simili, sed inverso ordine in aeternum ignem, unde profecta sint, iterum redigantur. Ex his nunquam intermittentibus rerum vel surgentium vel descendendum conversionibus concludebat, omnia continuo fluere et mutari, ipsaque sidera perpetuo et fatali quasi orbe generari atque exstingui, denique nihil prorsus stare vel immotum esse. (Plato in Crat. p. 54. Arist. de Coelo III. 2. Phys. Aufc. III. 5. Diog. VIII. 8. 9.) Vim vero illam, qua res omnes ex igne gignantur, atque in illum resolvantur, necessitatem appellabat, (Diog. l. c. *) et ejus duas quasi leges sive virtutes

*) Ἰππάτος δὲ ὁ μεταπονηνὸς καὶ Ἡρακλείτης ὁ ἐφεσίδης, ἐν αἰσίοις, καὶ πυκνωμένον καὶ πεπυκνωμένον, ἀλλὰ πῦρ ἐποίησαντο τὴν ἀρχὴν. καὶ ἐκ πυρὸς ποιοῦσι τὰ ὄντα πυκνωσὶ καὶ μαίωσι. καὶ διαλογοῦντο πάλιν εἰς πῦρ ὡς ταύτης μιᾶς ἕως φύσεως τῆς ὑποκειμένης. πῦρ γὰρ ἀμείβην εἶναι φασί. Ἡρακλείτης δὲ πάντα ποιεῖ, καὶ τάξιν τινα καὶ χρόνον ὄρισμένον τῆς τῶν κόσμου μεταβολῆς κατὰ τινα εἰμαρμένην ἀνάγκην. (Simpl. in Ar. Phys. fol. 6, p. 1.)



tutes statuebat, alteram inimicitiae vel discordiae, quae omnia generet, alteram vero pacis vel concordiae, qua quidquid natum sit, iterum dissolvatur. Primam itaque illam virtutem, discordiam nempe, magnificentissimis omnium rerum parentis, dominae atque reginae nominibus eohonestabat, quod ex immensa rerum omnium pugna admirabilis totius mundi concentus existere ipsi videbatur. (vide ejus frag. ap. Stephanum p. 137. et 139. *). Homerum vero vehementer reprehendebat, quod *Eryn* omnium rerum causam ac procreatricem execratus esset. Postremo aperte negabat, universum ab ullo vel Deo vel homine effectum esse, quippe quod semper fuerit atque in omnem aeternitatem duraturum sit. (vide Her. fragm. p. 132. apud Steph. **).

Li.

*) Ηρακλείτος μὲν γὰρ ἀντικρὺς πολέμοιο ὀνομαζέει πατέρα καὶ βασιλέα καὶ κυρίοιο πάντων. Καὶ τοῦ μὲν Ὀμηροῦ εὐχομένου ἐκ τῆς θείης ἐρίος ἐκ τ' ἀνθρώπων ἀπολεσθῆναι, λαμβάνειν φησὶ τῆς πάντων γενέσειο καταρσμένοιο, ἐκ μάχης καὶ ἀντιπαθείας τὴν γενέσειο ἔχοντων.

**) Κοσμοιο τοῦ αὐτοῦ ἀπάντων ὅτι τις θείης ὅτι ἀνθρώπων ἐποίησεν, ἀλλ' ἢ αἰεὶ, καὶ ἐστὶ, καὶ εἶναι, πῦρ αἰεὶ ζῶοιο, ἀπτόμεοιο μήτερος, καὶ ἀποσβέννυμεοιο μήτερος.



Licet vero Heraclitus in explicandis rerum omnium originibus Deorum opibus et machinis facile careret; propterea tamen divinam naturam non prorsus sustulit. Quin potius Thaletis instar omnia Deorum plena esse pronuntiabat; qui tamen ipsi non magis quam hominum animi aeterni ac immortales videri poterant. Quod si Sextum porro (VII. advers. Math. 126. — 132.) et Plutarchum (VII. p. 502. de Is. et Osir.) audire volumus; non Deorum tantum multitudinem invexit, verum etiam communem quandam et divinam rationem (*Θεῶν καὶ κοινὸν λόγον*) hominibus circumfusam esse opinatus est, cujus particulas simul cum spiritu extrinsecus ducerent *). Huic divino animo tantum tribuebat, ut existimaret, omnes homines, quotquot vigilantes et alacres ipsius participes forent, verum videre, eosdem vero, quoties

somo

*) Illud valde memorabile est, ipsum Democritum ab Heracliti ratione non alienum fuisse videri. Vocavit nimirum igneas quasdam vel calidas atomos *ἄν και ψυχῆν*, easque simul cum spiritu in intimas hominis partes penetrare opinatus est. (Aristot. de Anima 1. 2. 3.)



sommo sepulti ab ejus communione dijungerentur, vel nihil, vel falsa etiam percipere. Mirum profecto est, neque Platonem et Cicero-
 nem, neque etiam Aristotelem, qui saepius illius mentionem faciendi occasionem habuit*), de divina hac anima locutos esse. Neque tamen propterea ejus libri, e quo Plutarchus et Sextus sua hauserunt, auctoritatem in dubium vocabo, quum haec opinio facile cum ceteris Heracliti placitis conciliari queat. Multis enim exemplis supra demonstratum est, antiquos Graecorum philosophos in univ-
 ersum omnes, e suis rerum principiis vel naturas sensu ac ratione praeditas, vel animum quoque divinum per omnem mundum intentum eduxisse, et nihil itaque mirum est, Heraclitum quoque ejusmodi divinam naturam ex igne generatam credidisse. Vehementer vero erraret, quicumque, vel verborum similitudine, vel auctoris libri de placitis philosophorum testimonio I. 3. permotus, communem Heracliti rationem cum Stoicorum Deo
 vel

*) Inp. Metaph. γ. cap. ζ. p. 68. de Anima I. 2. et de Respirat. c. I.



vel Aethere eandem esse sibi persuadere vellet.

Ab hac, quam Heraclitus tenuit, longe diversam viam ingressus est Empedocles, qui circa Olymp. LXXXIV. floruisse dicitur, quemque Plato et Aristoteles semper a Pythagoreis distinguunt. Hic vere magni animi vir, et excelsi ingenii poeta, omnes quidem, qui ipsi paene aequales fuerunt, carminum vi atque elegantia tantopere superavit, ut Aristoteles, harum rerum sapientissimus aestimator, ipsum ad perfectissimum Homeri exemplar proxime accessisse judicaverit. Idem vero in philosophia adeo nutavit, atque ab opinionibus, quas semel probaverat, toties in alias transilivit, ut cum omnium veterum physicorum saepissime sibi ipsum contradixisse existimem. Haec Empedoclis inaequalitas veluti contagiosus morbus ad nobilissimos ipsius interpretes transit, inter quos ipsum Aristotelem et Sextum, gravissimos homines, Siculi vatis sententias et loca non eodem semper modo explicasse dissimulare non possum. Uterque (Arist. Met. I. 3. Sext. adv.



Mathem. IX. 10. aliisque plurimis locis) affirmat, Empedoclem omnium primum, non unum, neque etiam duo vel infinita, sed quatuor pervulgata rerum principia, eaque aeterna et immutabilia defendisse, quorum concrezione omnia gignantur, dissolutione vero intereant. Aristoteles vero sequenti statim capite monet, Empedoclem se ipsum corrigentem quatuor elementa, quae initio posuisset, ad duo revocasse, et ignem tanquam unam, cetera vero principia, tanquam alteram aeternam naturam posuisse. Idem porro scriptor testatur, Empedoclem denuo secum ipso pugnantem de uno quodam locutum esse, in quod omnia cogantur, atque e quo iterum quidquid occiderit, sub alia forma resurgat. (Phys. Aufsc. VIII. 1. de Gen. et Corrupt. I. 1. Metaph. B. d. p. 43. *) Δ. d. p. 74. A. I. 209.) Non magis sibi constabat Agrigentinarum civi-
um

*) Τιθησι μιν γαρ αρχην τινα αιτιαν της φθορας τε νεικος. δεξειε δ'αν εδεν ηττον και τετο γενναν εξ αυτη τη ενος. απαντα γαρ εκ τετε ταλλα εσι πλην ο θεος. Breviter monco, pro vocula πλην aliam particulam eamque copulativam poni oportere, ut sensus versuum, qui sequuntur, et quos statim citabo, postulat.



um clarissimus, quando de causa, vel causis, quibus omnia e simplicibus elementis efficerentur, quaerebat. Plurimis enim locis (Met. *Λ*. 3. 4.) par quoddam contrariarum virium vel virtutum, amicitiam nempe *) et inimicitiam, pro illis causis habuisse videtur, quibus omnia oriuntur atque dissolvantur. Aliis vero locis modo amicitiam, (Met. *Λ*. I 209. **). N. *δ*. p. 246) modo inimicitiam (*β*. cap *δ*. p. 43) tanquam unicam omnium rerum efficientem causam propinavit. Alibi tandem utrique modo rerum omnium ortum et concretionem, modo earum interitum et dissolutionem assignavit ***). Postremo amicitiae ac inimicitiae, quas nunquam dilucide ab illo explicatas esse Aristoteles queritur, (II. 7. de Gener. et Corrupt. †) fortunam et neces-

Z 2

fita-

*) Amicitiam quoque Venerem sive *αφροδιτην* appellare solebat. Simpl. fol. 7. 2. com. in Phys. Ar.

***) Την γαρ φιλιαν ποιεει το αγαθον. αυτη δ'αρχη και ως κινεσθαι (συναγει γαρ) και ω υλη.

****) Met. I. c. 4. de Gen. et corr. II. 7.

†) Etiam Met. *β*. *δ*. p. 43. Και αμα δε αυτης της μεταβολης αιτιον εδεν λεγει, αλλ' οτι ετως περιφυκει.



fitatem superinduxit, quibus non omnia quidem, sed multa tamen fierent atque perficerentur *).

In hac tanta opinionum diversitate mirari nemo potest, ne ipsum quidem Aristotelem ab illo vitio, in quod Empedocles inciderat, satis sibi cavisse, verum ipsius carmina diversis temporibus et scriptis dissimili ratione interpretatum esse. Duobus enim locis diligentissimus hic Empedoclis enarrator conjicit, hunc virum forsan inimicitiae nomine malorum omnium causam, amicitiae vero omnium bonorum principium significare voluisse. (Met. I. 4. et Lib. Λ. cap. 1. p. 209.) Alibi vero aperte negat, (Met. Β. c. δ.

P. 43.

*) ὡς περ Ἐμπεδοκλῆς, ἔκκει τοῦ ἀερα ἀποκρινεσθαι ἀνωτάτω φησιν, ἀλλ' ὅπως αὐτῆς τυχῆ. λέγουσθ' ἐν τῇ κοσμοποιίᾳ, ὡς ἔγωγε συνέκρυσσε θῆων τότε, πολλακι δ' ἄλλως.

καὶ τὰ μωρία τῶν ζῶων ἀπὸ τῆς τύχης γενεσθαι τὰ πλείστα φησιν. Phys. Aufc. II. 4. c. 8. εἰς ταύτην τὴν αἰτίαν (τὴν ἀναγκὴν) ἀναγκασί πάντες, ὅτι ἐπειδὴν τὸ θερμὸν ταιουδὲ πεφυκὲ, καὶ τὸ ψυχρὸν, καὶ ἕκαστον δὴ τῶν τοιούτων, τὰ δ' ἐξ ἀναγκῆς εἰσι καὶ γίνεσθαι, καὶ πεφυκὲ, καὶ γὰρ καὶ ἄλλην αἰτίαν εἰπώσιν, ὅσον ἀψάρενοι χαιρεῖν εἰσιν, ὁ μὲν τὴν φιλίαν καὶ τὸ νείκος, ὁ δὲ τὸν ἕν.



p. 43. de Gen. et Corrupt. II. 1.) Empedoclem unquam verum motuum et mutationum principium indicasse, vel rationes et fontem explicasse, quare et unde amicitia ac inimicitia quorundam tantum motuum, quibus res vel componuntur, vel dissolvuntur, efficientes causas existiterint.

Ex iisdem vero principiis, e quibus Empedocles ceteras res omnes generatas esse opinabatur, Deorum quoque numina quondam nata esse arbitratus est. Haec ipsi cum aliis antiquis philosophis communis opinio non solum ex memorabili Aristotelis loco cognoscitur, (II. 7. de Gen. et Corrupt. *) quo gravissimus auctor illum elementa pro divinis Deoque antiquioribus naturis habuisse testatur, verum etiam in ipsius Empedoclis versibusprehenditur, quibus praeter omnia stirpium et animantium genera immortales quoque Deos ex aeternis principiis prodiisse canit. (Met. B. d. p. 43. **).

Z 3

Huic

*) Και τοιγε τα στοιχεια διακρινει, & το νεικος, αλλ' η φιλια, τα φυσει προτερα τω θεω. θεοι δε και ταυτα.

***) Λεγει γεν, εζ' αν πενθ' οσα τ' ην, οσα τ' εσθ' οσα



Huic divinarum naturarum ex elementis origini non repugnat Sexti locus, quo egregius scriptor affirmat, Empedoclem divinum quendam animum per rerum universitatem intentum credidisse. (IX. ad. Math. S. 127 *). Sicuti enim Hesiodus e Chao, Jonici vel ex aqua, vel ex aere, vel denique ex incognito quodam infinito, Pythagorei porro e monade, et Heraclitus denique ex igne vel Deos vel animaleam quandam eamque divinam intelligentiam procreatam esse sibi persuaserant; ita plane improbable non est, Empedoclem quoque ex quatuor elementis suis amicitiae ope et potentia naturam quandam divinam eduxisse. Ex Aristotelis vero silentio, nec non ex alio Sexti testimonio apparet, Empedoclem divinum suum *λογον* non claris et per-

ὄσα τ' ἔσαι ὀπίσσω, Δένδρεα τ' ἐβαλασῆσε καὶ
 ἀνῆρες ἠδὲ γυναῖκες, Θῆρες τ' ὄντωνι τε, καὶ ὕδα-
 το θρεμμοῦνες ἰχθύς, καὶ τε θεοὶ δολιχαιῶνες.

*) οἱ μὲν ἐν περὶ τὸν Πυθαγόραν καὶ τὸν Ἐμπεδο-
 κλέα καὶ τῶν Ἰταλῶν πλῆθος, φασὶ μὴ μόνον
 ἡμῖν πρὸς ἀλλήλους καὶ πρὸς τῆς θεῶς εἶναι
 τινὰ κοινωνίαν, ἀλλὰ καὶ πρὸς τὰ ἀλογα τῶν
 ζῶων. ἐν γὰρ ὑπαρχειν πνεῦμα, τὸ διὰ παν-
 τὸς τῆς κόσμου διήκον ψυχῆς τρόπον, τὸ καὶ
 ἐν ἡμῶς πρὸς ἑκείνη.



perspicuis verbis descripsisse, et quosdam tantum interpretes ejusmodi animam omnia pervagantem in ipsius carminibus invenisse. (vide Sext. VII. 122. *).

Quae vero haecenus disputavi, satis docent, quam nullam prorsus vetustissimorum Empedoclis interpretum rationem illi habuerint, qui cum Pseudo-Origine (p. 49.) Siculo Philosopho divinam quandam μοναδα, sola mente comprehensibilem, omniumque rerum genitricem affingere conati sunt. Sordidus hic scriptor sine dubio εν sive unum illud, cujus Empedocles saepius mentionem fecerat, pro ejusmodi unitate vel monade habuit, cujusmodi serioris aevi homines ab antiquioribus Pythagoreis defensam fuisse sibi persuaserunt **).

*) αλλοι δε ησαν οι λεγοντες κατα τον Εμπεδοκλεα κριτηριον ειναι της αληθειας, & τας αισθησεις, αλλα τον ορθον λογον. τχ δε ορθη λογη, τον μεν τινα θειον υπαρχειν εις.

**) Communem hunc plurimorum saeculorum errorem Simplicius quoque imbiberat. Ait igitur de Empedocle: και ποιητικον αιτιον εκεινος μεν εν κοινον, την εν μεσω ιδρυμενην, και πασης γενεσεως αιτιαν δαιμονα τιθησιν. (fol. 8. I. Lib. sup. cit.)

SECTIO QUINTA.

*Qua Anaxagorae et Socratis de divina
natura sententiae enarrantur.*

Postquam nimis diu tanquam in immenso pelago innumerorum errorum et somniorum contrariis fluctibus jactatus fui; terram denique conspicerere mihi videor, dum ad Anaxagorae philosophiam accedo, qui primus summi et veri Dei inter Graecos sacerdos frustra haecenus quaesitam veritatem ex intimo naturae sacrario praecunte Hermotimo in lucem proferre ausus est. Equidem palam fateor, me, quoties in summi hujus viri nomen incido, toties ipsius memoriam venerari, licet non ignorem, hunc quoque omnium saluberrimam doctrinam primum vulgasse quidem, non vero totam patefecisse et illustrasse.



Anaxagoras itaque hoc tanquam totius doctrinae suae fundamentum ponebat: ab immenso tempore tantam tamque infinitam elementorum vim exstitisse, quanta corporum toto genere diversorum multitudo in rerum universitate deprehendatur. Hanc novam, et ipsi propriam opinionem propterea amplexus est, quod vereretur, ne multa ex nihilo orta esse ipsi statuendum foret, nisi unicuivis rerum et corporum generi certum elementorum genus respondere affirmaret. Innumerabiles has simplices naturas, sive elementorum genera *ὁμοιομερείας* appellabat, easque inter se permixtas, nullo ordine rudem et indigestam materiam jacuisse opinabatur, donec divina quaedam mens ad illas accesserit. (Plato in Phaed. §. 15. Ar. I. 3. 5. et plur. aliis locis Diog. II. 6. Lucret. I. 830 *). Hujus vero di-

Z 5

vinae

*) Inp. vero ipsius Anax. verba apud Simpl. fol. 33. p. 2. in Phys. Ar. ὅμοια πάντα χεῖματα ἢ ἀπειρά και πληθος και σμικροτητα. Και γαρ το σμικρον ἀπειρον ἢ. Και παντων ὁμοια εοντων ἔδει εὐδηλον ἢν ὑπο σμικροτητος. Παντα γαρ ἀη τε και Αἰδηη κατειχεν, ἀμφοτερά ἀπειρα εοντα. Ταυτα γαρ μεγίστα ενεσιν εν τοις συμπασι και πληθει και μεγαθει. Vide etiam fol. 35. I. et 38. 2. ibique Aristotelis et Simplicii objectiones.



vinae mentis vi atque sapientia rerum principia confusa haecenus et immota non solum agitata, verum etiam a se invicem secreta, riteque disposita fuisse; eamque igitur solam, non vero fortunam vel temeritatem, pro omnis motus totiusque mundi ornatus procreatrice haberi oportere. (vide Arist. l. c. et Phys. Aufsc. III. 4. et VIII. 1. et Herm. in irrisione gentilium p. 176. *) Pronuntiabat porro, hanc praestantissimam mentem impatibilem atque simplicem, omniumque naturarum tenuissimam et subtilissimam esse, neque cum ulla alia re simile aliquid vel commune habere. (Arist. de Anima I. c. 2. Anaxag. ap. Simpl. fol. 33. p. 1. **), Phys. Aufsc. VIII. 5. Met.

*) Αρχή πάντων ὁ νῦν καὶ οὗτος αἰτίος καὶ κυρίος τῶν ὅλων, καὶ παρέχει τάξιν τοῖς ἀτακτοῖς, καὶ κινήσιν τοῖς ἀκίνητοῖς, καὶ διακρίσιν τοῖς μεμιγμένοις, καὶ κόσμον τοῖς ἀκροσμοῖς. Ἀναξαγόρ. ap. Herm. l. c.

**) Πλὴν ἀρχὴν γὰρ τὸν νῦν τίθεται μάλιστα πάντων; μόνον γὰρ φησὶν αὐτὸν τῶν ὄντων ἀπλὴν εἶναι καὶ ἀμιγῆ τε καὶ καθάρου. ἀποδίδωσι δ' ἀμφω τῇ αὐτῇ ἀρχῇ, τὸ τε γίνωσκειν καὶ τὸ κινεῖν, λέγων νῦν κινήσας τὸ πᾶν. de An. I. 2.

διο καὶ Ἀναξαγόρας οὕτως λέγει, τὸν νῦν καὶ αὐτὴ φασκῶν καὶ ἀμιγῆ εἶναι. Phys. VIII. 5.

φησὶ δ' εἶναι μεμιγμένα πάντα, πλὴν τῆς νῦν. τῆς δὲ ἀμιγῆ μόνου καὶ καθάρου. Arist. l. c. Anax.



Met. I cap. § p. 20. Plut. in vita Per.) Tribuebat illi denique infinitatem (Simpl. l. c. et Vell. ap. Cic. I. 11. *) et maximam, quae cogitari possit, potentiam, simulque affirmabat, illam non solum omnia, quae existant, quaeque fuerint atque futura sint, summa sapientia prouidisse et disposuisse, verum etiam uniuersum mundum, quem haecenus gubernauerit, in omnem aeternitatem administraturam esse. (Anaxag. l. c. **).

ex-

Anax. apud Simpl. νῆς μεμιχται ἔδειν χρηματι. ἀλλὰ μόνος αὐτός ἐφ' ἑαυτῆ ἐστίν. εἰ μὴ γὰρ ἐφ' ἑαυτῆ ἦν, ἀλλὰ τῶν ἐμιμιχτῶν ἄλλῶν, μετείχεν ἂν ἀπάντων χρημάτων, εἰ ἐμιμιχτῶ τῶν. ἐν παντί γὰρ πάντος μοῖρα ἐστίν — — — καὶ ἀνεκάλυεν αὐτὸν τὰ συμμιχθέντα, ὥστε μηδένος χρηματός κρατεῖν ὁμοίως ὡς καὶ μόνου ἑσῦτα ἐφ' ἑαυτῆ. ἐστὶ γὰρ πάντων χρημάτων λεπτότατον τε καὶ καθαρῶτατον.

*) Inde Anaxagoras, qui accepit ab Anaximene disciplinam, primus omnium rerum descriptionem et modum, mentis infinitae vi ac ratione designari et confici voluit: in quo non vidit, neque motum sensui junctum et continentem in infinito ullum esse posse etc. & Anax. ap. Simpl. νῆς δὲ ἐστίν ἀπειρον καὶ αυτοκράτης.

**) Καὶ γνώμην γε περὶ πάντος πασαν ἰσχύει. καὶ ἰσχυρὴ μείζων. ὅσα γε ψυχὴν ἔχει καὶ μείζων, καὶ ἐλάττω, πάντων νῆς κρατεῖ. καὶ τῆς περιχρησιᾶς τῆς συμπασῆς νῆς ἐκράτησεν. — καὶ τῆ



explicasse videtur, qualem sibi tenuem illam divinae mentis substantiam, quam a reliquis naturis adeo sollicitè distinguebat, cogitaverit, quam quid infiniti vocabulo, quod de Deo usurpabat, designaverit. Admodum tamen probabile est, illum divinae mentis infinitate nihil aliud significare voluisse, quam ejusmodi divini animi fusionem, quae nullis finibus circumscriberetur. Eodem enim sensu hanc vocem adhibuit, quum illam ad Aera atque Aethera transferret, quos innumerabilia rerum principia ab infinito tempore continuisse vel cinxisse arbitrabatur *).

His suis egregiis doctrinis quaedam admiscuit Anaxagoras, quibus earum pondus atque aucto-

τα συρμεισγομενα τε και αποκρινομενα και διακρινομενα, παντα εγνω υης. Και οποια εμελλεν εσεσθαι, και οποια ην, και οσα νυν εσι, και οποια εσαι, παντα διεκοσμησε υης. και την περιχωρησιν ταυτην, ην νυν περιχωρησει, τα τε αστρα, και ο ηλιος, και η σεληνη, και ο αηρ, και ο αιθηρ, οι αποκρινομενοι. η δε περιχωρησις εποισεν αποκρινοσθαι. — Nec non Simpl. fol. 33. p. I. Πρωτον μεν του Αναξαγοραν λεγειν απαξ γενομενον τον κοσμον εκ τς μιγματος, διαμετειν λοιπον υπο τς υς εφεσωτος διοικημενον τε και διακρινομενον.

*) Παντα γαρ αηρ τε και αιθηρ κατειχεν, αμφωσ τερα απερα εστω. εικ. Anax. l. 1, c,



auctoritas apud plures sapientes viros non parum imminuta est. Primum enim Aristoteles ipsi objecit, illum mentem, omnium rerum effectricem, non satis ab illa anima distinxisse, quam per omnia animalium genera fusam esse crediderit *). (de An. I. c. 2.) Idem porro
 scriptor

*) Αναξαγορας δε η̄ττον διασαφει περι αυτων. Πολλαχ̄ε μεν γαρ το αιτιον τε καλως και ορθως, γεν λεγει. ε̄τερω̄σι δε, τον γεν ειναι τον αυτον τη̄ ψυχη̄. εν̄ απασι γαρ η̄παρχει αυτον τοις ζωοις, και μεγαλοις και μικροις, και τιμιοις και ατιμιω̄τεροις. Ipse tamen Aristoteles vix ab inconstantiae culpa liberari potest, nisi hanc libri de anima Sectionem valde corruptam esse dicere volumus. Paucis enim interjectis ejusmodi sententiam de Anaxagora profert, quae cum ipsius judicio paulo ante citato aperte pugnat. Ait nempe: Αναξαγορας δ̄ σοικε̄ μεν ε̄τερον λεγειν ψυχη̄ν τε και γεν, ω̄σπερ ειπομεν και προτερον. χρηται δ̄ αμφοιν ω̄ς μια φυσει. Πλην κερχη̄ν γε τον γεν τιθεταῑ μαλιστα παντων. Ne haec quidem verba inter se concordare videntur. Quomodo enim Aristoteles affirmare poterat, Anaxagoram mente et anima tanquam una eademque natura uti, quum ipse testaretur, Anaxagoram mentem potissimum, non vero animam, omnium rerum efficientem causam dixisse. Plato nusquam Anaxagorae mentis et animae confusionem objecit. In Cratylo contra ita de utraque loquitur, ut appareat, illum Anaxagorae mentem omnium rerum effectricem ab ejusdem anima, per universum mundum diffusa, diligenter distinxisse. Socrates nempe,
 Her-



scriptor, (Metaph. I. 4. Aufc. Phys. II. 8.) nec non Plato (in Phaed. §. 33.) Anaxagoram propterea acerbè reprehenderunt, quod universe quidem dixerit, divinam mentem hunc mundum condidisse, idem vero in explicandis singularum rerum naturis atque originibus perraro Dei; saepius vero necessitatis mentionem fecerit, et tum demum ad Deum confugerit, quando difficilem aliquem modum sine ipsius interventu solvere non posset. At vero dudum suspicatus sum, egregios viros Anaxagoram de necessitate loquentem non satis intellexisse. Uterque enim non semper attendisse videtur, Anaxagoram divinae menti non rerum ipsarum earumve qualitatum generationem, verum solam elementorum secretionem, descriptionem et agitationem assignasse. Quoties igitur de corporum mutationibus

Hermotimo sequentem quaestionem proponit. Τι δε, και την των αλλων απαντων φυσιν, & πισυεις Αναξαγορα, γην και ψυχην ειναι την διακοσμησαν και εχουσαν; Nemo non videret, vocem διακοσμησαν ad γην, εχουσαν vero ad ψυχην referri oportere. Cum omnibus vero ignoro, quantum Anaxagoras huic animae tribuerit, et quomodo illam generatam esse existimaverit.



nibus et potestatibus disputabat, non poterat non ad aeternas illas proprietates recurrere, quas homoiomeriis suis semper inhaesisse, atque a Deo neque auctas neque imminutas fuisse existimabat *). Has infitas rerum qualitates sine dubio necessitatem appellavit, eique ea omnia adscripsit, quaecunque in rerum natura ita ipsi fieri videbantur, ut illa neque ex pulcherrimo rerum ordine, quem Deus constituerit, neque ex motibus corporibus inditis neque denique ex principiorum coagmentatione derivari possent. Hanc vero Anaxagorae mentem fuisse, eumque necessitatis verbo non vim quandam in rebus delitescentem, atque a divina mente rerumque proprietatibus diversam significare voluisse, exinde abunde intelligitur, quod nusquam ejusmodi ἀναγκήν Deo tanquam alteram

ram

*) Simpl. fol. 33. p. I. η πρᾶ καὶ ἐν τοῖς σοιχημοῖς πάντα τὰ ἐναντία — ἐπεὶ δὲ τῆς τῶν ὁμοιομεριῶν (γλυκύ καὶ πικρὸν) ὡς πρῶτα καὶ καθ' αὐτὰ. ὡσπερ καὶ αἱ κατὰ τὰ χρώματα ἐναντιότητες. Ipse vero Anaxagoras hac de re l. c. ita loquitur: καὶ ἀποκρίνεται ἀπὸ τοῦ τε ἀραιῶ τοῦ πυκνοῦ, καὶ ἀπὸ τοῦ ψυχροῦ τοῦ θερμοῦ, καὶ ἀπὸ τοῦ ἑοφροῦ τοῦ λαμπροῦ, καὶ ἀπὸ τοῦ διαφροῦ τοῦ ἕεροῦ. μοῖραι δὲ πολλαὶ πολλῶν ἐστί. Vide etiam fol. 37. 2. f. 38. 1. 2.



ram quandam efficientem causam adjunxerit. Illud autem valde memorabile et prope singulare est, Socratem longe aliam et prorsus contrariam ob causam Clazomenium sapientem vituperasse, quam qua Plato et Aristoteles adversus illum commoti sunt. Quum enim hi Anaxagoram inprimis propterea fugillarent, quod divina mente praetermissa nimis saepe necessitatem jactasset *), ille contra plus justo curiosam Deorum machinationum investigationem ipsi objiciendam esse putavit.

Multo facilius Anaxagoras adversus illas argutias defendi potest, quibus, nisi memoria
me

*) εἶδεν ἥττον ἢ Ἀναξαγόρας παρεφρονῆσαι, ὁ μέγιστον φρονῆσας ἐπὶ τῶν τῶν Θεῶν μηχανῶν ἐξηγεῖσθαι. Facile vero est, conjicere, quare hominum moderatissimus et modestissimus adversus Anaxagoram paulo iniquior fuerit. Hic enim negabat, sidera divinas naturas esse, quum Socrates eadem tanquam Deos veneraretur. Iste porro ejusmodi res scrutabatur, quae Sophronisci filius tanquam *μετεωρα* et difficiles nugas relinquendas esse putabat. Denique Anaxagoras efficientes potissimum rerum causas earumque naturam explicare conabatur, quum Socrates maxime in inveniendis rerum finibus et utilitatibus animum intentum haberet.



me fallit, Baylius omnium primus illum aggressus est. Hic enim scriptor in nugis quoque ac cavillationibus suis ingeniosus Anaxagorae objecit, illum magnificentum mundi opus divinae mentis potentia inchoatum quidem, non vero absolutum ac consummatum credidisse, quod in rerum universitate a Deo constituta non pauca pristinae confusionis vestigia vel reliquias remansisse opinatus sit. Verum quidem est, Anaxagoram statuisse *), quod vis corpus nunquam ex sui tantum vel unius generis elementis constare, verum potius ex variis, et genere longe disjunctis partibus conflatum esse, ab illis autem nomen accipere, quorum maximam multitudinem complectatur. Hinc vero neutiquam concludi potest, illum divinam mentem nimis infirmam credidisse, quam ut infinitam princi-

pio-

*) Vide Arist. Aufc. Phys. III. IV. in p. vero Simpl. fol. 6. p. 2. Φαινέσθαι δὲ γινόμενα καὶ ἀπολυμένα συγκρίσει καὶ διακρίσει μόνον, πάντων μὲν ἐν πασίᾳ ὄντων, ἕκαστα δὲ κατὰ τὸ ἐπικρατεῖν ἐν αὐτῷ χαρακτηρίζομενα. κρῆσις γὰρ φαίνεται ἐκεῖνο, ἐν ᾧ πολὺ τὸ κρῆσιον, καί ται πάντων ὄντων. λέγει γὰρ Ἀναξαγόρας, ὅτι ἐν παντί πάντος μοῖρα ἐνέστι, vide et. fol. 33, p. 2. ipsius Anaxagorae verba.



piorum multitudinem ita separare potuerit, ut quodvis corporum genus ex simplicibus nec ullo modo concretis naturis componeretur. Multo probabilius est, Anaxagoram ejusmodi perfectam elementorum separationem, atque omnium cuius corpori dissimilium partium remotionem pro parum necessaria habuisse, atque in ipsam hanc opinionem de diversarum partium in quavis re mixtione invitum quasi ipsa experientia et sensuum testimoniis deductum esse. Haec enim illum fateri cgebant, nullum fere corpus existere, quod ex uno tantum elementorum sive simplicium naturarum genere compositum sit.

Nemo vero inter veteres atque recentiores in Anaxagoram magis injuriosus fuit, quam indiligens et saepius jam a me castigatus libri de placitis philosophorum auctor, quippe qui Anaxagorae ejusmodi opiniones assignavit, a quibus illum magnopere abhorruisse facile demonstrari potest. Ait nimirum, Anaxagoram et Stoicos fortunam causam quandam humanae rationi prorsus incognitam appellasse, simulque statuisse, quae-



quaedam fato fieri, alia necessitate, alia fortuna, alia casu, et nonnulla denique ex hominum voluntate pendere atque contingere *). Ad Stoicos quod attinet, infra pluribus ostendam, illos summo ardore, et non contemnendis argumentorum copiis adversus illos pugnasse, qui vel necessitate, vel casu atque fortuna mundum hunc, vel quasdam saltem ejus partes volvi et administrari crediderunt. In praesenti igitur, quum Anaxagorae praesertim causam tractem, ea tantum in medium proferam, quae ad insulsi nugatoris figmenta refellenda sufficere putabo. Quod vero Anaxagoras neque fortunam neque casum et temeritatem aliquid esse vel valere opinatus sit, primum exinde apparet, quod Plato et Aristoteles ipsi nihil ejusmodi ne in illis quidem locis objecerunt, quibus eos enumerant, ac reprehendunt, qui ante ipsos ficticias ejusmodi Deas tanquam dominas hominum

A a 2

cer-

*) Αναξαγορας και οι στωικοι (την τυχην) αδηλον αιτιαν ανθρωπινω λογισμω. α μιν γαρ ειπικε κατ'αναγκην, α δε καθ'ειμαρμενην, α δε κατὰ προαιρεσιν, α δε κατὰ τυχην, α δε κατὰ το κυτοματον.



cervicibus imponere conati erant. (Plat. in Lib. X. de Leg. et Arist. Phys. Aufc. II. 4) Si cui vero ne haec quidem ratio satis valida videbitur; illum, credo, grave saltem Aristotelis testimonium commovebit *), quo Anaxagorae illud summae laudi tribuit, quod mundi opificem non casum sive fortunam, sed mentem divinam esse dixerit. Dubitari itaque amplius non potest, Pseudo-Plutarchum falsos errores Anaxagorae affingentem non magis fidem mereri, quam incertum vitae Pythagorae scriptorem, qui easdem ineptias ad vetustos Pythagoreos retulit. (vide Pyth. vit. a Porph. confc. atque a Kust. edit. p. 60. **).

Ab

*) εἰδ' αὐτῶ αυτοματῶ καὶ τυχῇ τοσούτων ἐπιτελεῖσθαι πράγματα καλῶς ἔχει. νῦν δὲ τις εἰπὼν εἶναι καθάρτερ ἐν τοῖς ζώοις καὶ ἐν τῇ φύσει τοῦ αἰτιῶν καὶ τῆ κοσμοῦ, καὶ τῆς τάξεως πᾶσης, οἷον νηφῶν εἴφανη παρῆικη λεγοντας τῆς πρῶτεροι. φανερώς μὲν ἐν Ἀναξαγόραν ἰσμεν ἀψάμενον τῆτων τῶν λόγων. αἰτιῶν δ' ἔχει πρῶτερον Ἐρμολίμος ὁ Κλαζομενίος εἰπεῖν.

***) Inter Jonicos plerumque referri solet Diogenes Apollonia oriundus, quo neminem magis Graeci atque Romani auctores neglexisse videntur. Quodsi enim Simplicium excipias, ceteri scriptores adeo raro et dubitanter de illo loquuntur.



Ab Anaxagorae doctrinis ad Socratis de Deo opiniones progredior, quem tanquam veritatis ministrum, omniumque virtutum praeceptorem et exemplar divino beneficio terris

Aa 3

com-

tur, ut, qualis ipsius doctrina fuerit, plane dijudicare non possis. Hoc eo magis mirandum est, quod Diogenes praeter suum de natura librum, quem Simplicius in manibus habuit, multa alia opera reliquit, quorum tituli apud eundem Simplicium inveniuntur. (fol. 32. p. 2. in Phys. etc.) Hic etiam memorabilem Diogenis locum transcripsit, e quo intelligitur, virum hunc Anaxagorae et Anaximenes opinioniones copulasse, vel potius confudisse. Ait nimirum, (apud Simpl. l. c.) sese aerem omnium rerum unicam causam existimare, cujus mutationibus et transfigurationibus universus mundus et quaecunque in illo contineantur, orta atque effecta sint. Afirmat porro, hanc spirabilem naturam ipsi non inanimam, verum vita, sensu et ratione praeditam videri; quandoquidem sine hisce virtutibus praecleari mundi ornatus, temporumque vicissitudinum nulla satis idonea ratio reddi queat. Licet vero ex aere perpetuis conversionibus omnia generata esse et etiamnum gigni diceret; nihilo tamen minus eundem aeternum et immortale corpus appellabat, quippe in quod universae naturae resolvantur, ipsum vero totius mundi ruinarum superstes sit. Ceterum neque in hoc, neque in reliquis Diogenis fragmentis, quae Simplicius nobis servavit, ullum verbum occurrit, e quo quis suspicari possit, illum praeter Anaxagoram Leucippum quoque securum esse, quod Simplicius animadvertisse sibi visus est. (fol. 6. I.)



commodatum esse, et multo magis quam ullum unquam alium philosophum de civibus suis, atque omnium insequentium aetatum hominibus meruisse, alio loco studiosius ostendam. Qui licet in accusando et reprehendendo Anaxagora paulo iniquior fuisse videatur; nihilominus saluberrimam de uno Deo, mundi architecto, doctrinam non solum ab illo accepit, verum etiam illustravit et amplificavit, eandemque tandem ad hominum vitam moresque regendos multo efficaciorum et fructuosiorum reddidit.

Primum itaque Socrates hoc ponebat vel sibi concedi postulabat, quod ne acerrimus quidem Deorum hostis unquam negaverit, (Xenoph. Mem. I. 4. IV. 3. et 6.) omnes res, quae insignes quasdam opportunitates habeant, vel quibus manifesta magnarum utilitatum indicia impressa sint, non a casu quodam vel natura, sensus experte, profectas esse, verum consilio et mente effectas videri. Hoc vero doctrinae suae fundamento jacto coelum, terram, maria sagaci mente peragrabat, ut undique providae cu-
jus-



jusdam et hominum generi amicae naturae vestigia colligeret, et hujus naturae opera omnibus artis operibus multo pulciora et excellentiora esse ostenderet. Non minus gravi itaque quam copiosa oratione, quae hominum intimos sensus permovere posset, coelestium corporum magnitudines et trajectiones, eorundem opportunos accessus atque regressus, anni porro, temporum, nec non dierum et noctium vicissitudines, et terrarum denique fertilitates ita describebat, ut earum omnium rerum habilitates atque commoda cuivis non prorsus hebeti vel obdurato homini oculis quasi conspicienda praeberet. Inprimis vero in explicandis animantium naturae miraculis immorabatur, atque summa animi contentione auditoribus suis persuadere satagebat, tam bestiarum quam hominum corpora ita fabricata, et singulorum partes ita aptas atque descriptas esse, ut neque ad usum meliores, neque ad speciem pulciores ne cogitari quidem possint. Ab hac praeclara observatione ad illam alteram transibat, ceteris animantibus sensus atque appetitus tam admirabili solertia distributos esse, ut non



solum ad sustentandam vitam, verum etiam ad genus propagandum sufficerent, hominem vero tam excelso animo, tamque excellentibus virtutibus instructum esse, ut nemo dubitare possit, illum, sicuti cetera animantium genera, non casu atque fortuna exstitisse, sed a sapienti aliquo atque benevolo artifice generatum esse.

Quando vero vel in ita imbecillos vel in adeo quoque prae fractos auditores incidebat, qui ne his quidem argumentis cederent, atque in dubitationibus suis vel pervicaci etiam impietate persisterent; ejusmodi aegros vel obduratos animos alia ratione aggrediebatur. Quae- rebat nempe ex illis, num sibi soli sapientes viderentur, et praeter ipsos ceterosque homi- nes nullas alias naturas ratione atque consilio praeditas existere arbitrarentur? Eosdem porro interrogabat, an hoc sibi persuadere possent, excellentissimam hominis partem ex nulla ceteris rebus infinitis modis praestantiori natura decerptam esse, quum reliquae corporis partes vel ex terra, vel ex igne, vel ex aliis denique rerum elementis haustae atque desumptae sint?

Ad-



Adjiciebat denique, illudne ipsis credibile videatur, hanc infinitam rerum multitudinem, et immensas corporum magnitudines sine ulla ratione tanta constantia regi et contineri posse? (Xenoph. I. 4. *)

Occurrebat praeterea illorum dubitationibus, quibus hoc scrupulos iniecerat, quod praestantissima mens neque oculis conspici neque manibus contrectari possit. Observabat nempe, multas alias res summa efficacia atque virtute inveniri, quas nemo unquam vel visu vel manibus comprehenderit. Quem enim ignorare, humanam animam totum corpus gubernare atque continere, eamque tamen nulli unquam visam esse. Eadem fere de tempestatibus et fulminibus,

A a 5

bus,

*) Συ δε σ αυτον φρονιμον τι δοκεισ εχειν; ερωτα γ εν, και αποκρινεμαι αλλοθι δε εδαμει εδεν οiei φρονιμον ειναι; και ταυτα, ειδωσ οτι γης τε μικρον μερος εν τω σωματι, πολλης εσης, εχεισ, και υγερ βραχυ, πολλη οντος, και των αλλων δητε μεγαλων οντων εκαστε μικρον μερος λαβοντι το σωμα συνηρημεσαι σοι. νεν δε μονον αγα εδαμει οντα σε ευτυχως πως δοκεισ συναρτασαι, και ταδε υπερ μεγαλη και πληθος απειρα, διαφροσυνην τινα ως οiei ευτακτως εχειν.



bus, deorum ministris, dici posse. Quae licet incredibili vi atque celeritate ingentes terrarum tractus vastent et perterritos mortales occidant, nemini tamen unquam contigisse, ut vel loca, unde proficiscantur, vel tempora, quando eruptura sint, sensibus perciperet. Quin ipsum solem tempore meridiano, quando nullis nubibus obductus sit, summamque vim in omnia stirpium, arborum atque animantium genera exerceat, tam intolerabili fulgore oculos perstringere, ut nemo illum recto obtutu adspicere audeat. Nisi igitur quis vel mentem humanam negare, vel ventos quoque, fulmina et solem propterea e rerum natura tollere velit, quod ea omnia sensibus comprehendi non possint; ne de divina quidem mente, omnium rerum genitrice et moderatrice, dubitari posse, licet illa a sensuum nostrorum imbecillitate prorsus remota sit. Hae rationes tantum ipsi pondus habere videbantur, ut eos vel irrideret vel castigaret, qui Deorum apparitiones expectarent, ut tum demum illos debitis honoribus prosequi possent.

Socrates vero amicos et cives suos non tantum docebat, mundum hunc divina quadam
mente



mente effectum esse, verum etiam summo studio eorum animos hac opinione imbuere allaborabat, Deum res omnes, quas mundus complectatur, continere et gubernare et hominum praesertim generi consulere et providere. Hoc ut assequeretur, primum illis in memoriam revocabat, in tam innumerarum rerum ordinibus atque motibus nihil unquam immensam et infinitam vetustatem mentitam esse, sed universum potius mundum incolumem semper, et nulli neque morbo, neque senectuti obnoxium perdurare, quod fieri non posset, nisi tantae rerum moli aliquis praesideret, cujus nutui omnia pareant atque subiecta sint. Deinde vero rei amplitudine supra se ipsum elatus, altiori quasi voce maxima beneficia praedicabat, quibus mundi sator atque altor hominum genus ante cetera animalia ornaverit, hincque efficiebat, homines praecipue numini curae fuisse, et adhuc in deliciis esse. Ingenti igitur spiritu divinam benignitatem memorabat, qua soli homines celsi atque erecti incedant, et terris licet corporibus affixi superas tamen res oculis et mente contemplari, coelumque tanquam patriam intueri possint.



sint. Demonstrabat porro, unum hominem
 existere, cui rerum omnium parens non solum
 manus, omnium artium ministras, et sensus
 bestiarum sensibus longe praestantiores, verum
 etiam admirabilem eloquendi vim, infinitarum
 rerum memoriam, postremo incredibilem et
 divinam paene cogitationis celeritatem tribuerit,
 qua rerum causas scrutari, futura prospicere,
 consequentia cum primis conjungere, atque a
 naturae investigatione ad ipsius Dei cognitionem
 ascendere valeat *). Hominem itaque tanquam
Deum

*) Επειτ' εκ οιει φροντιζειν, οι πρωτον μεν μονου
 των ζων ανθρωπον ορθον ανετησαν (η δε ορθο-
 της και προοραν πλειον ποιει δυνασθαι, και
 τα υπερθεν μαλλον θεασθαι και ηττον κακοπα-
 θειν) και οψιν, και ακοην και φομα ενεποιησαν.
 επειτα τοις μεν αλλοις ερπετοις ποδας εδωκαν,
 οι το πορευεσθαι μονον παρεχουσιν. ανθρωπον
 δε και χειρας προσεθεσαν, αι τα πλειστα, οισ
 ευδαιμονεστεροι εκεινων εσμεν, εξεργαζονται.
 και μην γλωτταν γε παντων των ζων εχοντων,
 μονην την των ανθρωπων εποιησαν οικαν, αλλοτε
 αλλαχη ψαυσαν τε φοματος αρεθραν τε την φω-
 νην, και σημαινειν παντα αλληλοις, α βελοσ-
 μεθα. — ε τοιουν μονου ηκεσε τη θεω
 τε φοματος επιμεληθηται, αλλ (οπερ μεγαισοφ
 εσι) και την ψυχην κρατισην τη ανθρωπω ενε-
 φουσε. τινος γαρ αλλα ζωα ψυχη πρωτα μεν
 θεαν των τα μεγαιστα και καλλιστα συνταξαντων,
 ησθηται οτι εστι; — — ε γαρ πανν σοι κα-
ταδη



Deum inter cetera animantia versari, quippe ad quem praecipue omnium terrenorum commodorum dominatus pertineat: bestias vero, licet nonnullis rebus fruantur, ipsas tamen hominum causa generatas esse. Postquam Socrates haec omnia exposuisset; tum quaerere solebat, illudne credibile sit, idem numen, quod hominibus tanta tamque insignia ornamenta circumdederit, hos quasi filios suos in posterum neglecturum esse, neque igitur illis amplius consulere *)? Ex hac vero firma de divina providentia persuasione concludebat, bono viro omnia prospere evenire, et nihil ipsi neque vivo, neque mortuo invito vel incio Deo accidere posse *). His tantis

ταδηλον, οτι παρα τα αλλα ζωα, ωσπερ Θεοι, ανθρωποι βιοτευουσι, φυσει και τω σωματι και τη ψυχη κρατισευοντες; Xenoph. I. c. 4. Memor.

*) Συ δε αμφοτεραν των πλεισθ αξιων τετυχηκως, εκ οιει σε Θεος επιμελεισθαι, αλλ' οταν τι ποιησασι, ναμεις σε φροντιζειν; Socrates omnia quoque divinationis genera, et futurarum rerum significationes tanquam argumenta adducebat, e quibus hominum commodis a Diis consuli perspicui possit. Memor. Soc. I. 4.

***) Αλλα και υμας χρη, ω ανδρες δικασαι, ευελπιδεσ ειμι προς τον θανατον, και εν τι τωτο δια-



tis tamque excelsis cogitationibus erectus atque munitus, tyrannorum minas, iudicum iniquitatem et levitatem, ipsosque mortis terrores contemfit, neque ullo unquam vel pretio vel poenae metu eo adduci potuit, ut hominum magis quam Deorum voluntati parceret, eamque stationem relinqueret, in qua ab ipso numine sese collocatum esse sibi persuaferat.

Cuicumque vero illud omnem fidem excedere videbatur, divinam mentem omnia audire et cernere, omnibus interesse, omniumque rerum curam gerere; illum interrogabat, an non multo facilius cogitari possit, summum mundi architectum opus suum, licet immensum, totum tamen cognoscere atque administrare, quam mentem humanam corpus, quod ne ipsa quidem sibi fabricata sit, ex arbitratu suo gubernare, et quocumque velit, circumagere? Illudne porro adeo incredibile sit, omnium rerum auctorem ea, quae ipse genera-

verit,

νοεῖσθαι ἀληθές, ὅτι ἔκ ἐστὶ ἀνδρὶ ἀγαθῷ κακὸν ἔδειν ἔδει ζῶντι ἔτε τελευτήσαντι, ἔδει ἀμείλιται ὑπὸ θεῶν τὰ τέττα πρᾶγματα. *Apol. Socr. a Plat. confc. in fine.*



verit, perspicere ac pervidere, quum imbecilla oculorum acies res tot stadiorum intervallo disjunctas assequatur, mens vero humana incredibili velocitate et agilitate non solum in omnes naturae angulos sese insinuet, sed ultra ipsos quoque mundi terminos evagetur? *)

Certum itaque et exploratum est, Socratem mentem quandam divinam cognovisse tanta primum potestate, ut universum mundum non solum generaverit, verum etiam incorruptum atque incolumem semper conservare queat; tanta porro providentia et sapientia, ut nihil illam latere, nihilque adversus ipsius expectationem vel voluntatem accidere possit; tanta denique adversus humanum genus benignitate et amore, ut ejus beneficia non magis quam ope-

RUM

*) ὦ γάρ τε, εφη, καταμαθε, ὅτι καὶ ὁ σὸς νῆς ἐν τῷ τῶν ὀφθαλμῶν, ὡς βλεπεται, μεταχειριζεται. Οἰεσθαι ἐν χρῆσιν καὶ τὴν ἐν παντὶ φρονήσιν τὰ πάντα, ὅπως ἀν' αὐτῆς ἡδύη, ἔτω τιθεσθαι. Καὶ μὴ τὸ τῶν ὀφθαλμῶν δύνασθαι ἐπιπολλὰ γὰρ εὐδαιμονεῖσθαι, τὸν δὲ τῶν ὀφθαλμῶν ἀδυνατῶν εἶναι ἀμα πάντα ὄραν. μὴδὲ τὴν σὴν μετὰ ψυχὴν καὶ περὶ τῶν ἐνθάδε καὶ περὶ τῶν ἐν Αἰγύπτῳ καὶ ἐν Σικελίᾳ δύνασθαι φροντίζειν, τὴν δὲ τῶν ὀφθαλμῶν φρονήσιν μὴ ἰκανὴν εἶναι ἀμα παντῶν ἐπιμελίσθαι.



rum pulcritudo et magnificentia cogitatione
comprehendi, vel verbis enarrari queant.
Hunc summum totius mundi et humani generis
parentem atque custodem omni pietate colen-
dum, et nullo non honorum genere prosequen-
dum esse dicebat. Quem enim majore reveren-
tia dignum esse, quam ineffabilem illum patron-
num, cui quisque omnia sua, vitam, sensus,
animum et maximarum rerum fructum accepta
referat? Summa porro auctoritate pronuntiabat,
nullum cultum Diis gratiorem esse, quam si quis
pura mente et manu exigua ipsis dona offerat,
et rigidus fidei, virtutis et veritatis cultor
omnia illa officia fideliter impleat, quae assignata
cuivis a Deo conditio et locus flagitent *).
Longe vero ab illorum insania aberat, (Lib. I.
c. IV. p. 37. **) qui divinam naturam vel donis

cor-

*) Xenoph. Mem. III. 9. Και αριστες δε και Θεο-
φιλεσάτους, εφη, ειναι, εν μεν γεωργια, της
τα γεωργικα εν πραττοντες, εν δε ιατρεια,
της τα ιατρικα, εν δε πολιτεια, της τα πο-
λιτικα. τον δε μηδεν εν πραττοντα, ετε κρη-
σικον εδεν, εφη, ειναι, εδε Θεοφιλη.

**) Ουσιας δε θυων μικρας απο μικρων, εδεν ηγει-
το μεγαλαι των απο πολλων και μεγαλων
πολλαι



corrumpti, vel sacrificiis flecti posse sperabant. Publice contra profitebatur, ejusmodi flagitia in Deo ne sine scelere quidem cogitari posse, et hominum certe vitam miseram et illaetabilem fore, si illi Diis acceptissimi essent, qui maxima illis donaria consecrarent, vel plurima et splendidissima sacrificia ad eorum altaria adducerent.

Qua vero animi magnitudine falsas Graecorum de obtinenda Deorum pace opiniones extirpare, et meliores ipsis de Diis cognitiones ingenerare studebat, eadem animi altitudine votorum solenniumque precum, quibus Deos fatigabant, foeditates detegebat, atque reprimere
 cona-

πολλά και μεγάλα θυσιών. ἔτε γὰρ τοῖς Θεοῖς, εἴη, καλῶς εἶναι, εἰ ταῖς μεγάλαις θυσιαῖς μάλλον ἢ ταῖς μικραῖς εὐχαιροῦν. (πολλὰ γὰρ ἀν' αὐτοῖς τὰ παρὰ τῶν πονηρῶν μάλλον, ἢ τὰ παρὰ τῶν χρηστῶν εἶναι κεχαρισμένα). ἔτ' ἀν' τοῖς ἀνθρώποις ἀξίον εἶναι ζῆν, εἰ τὰ παρὰ τῶν πονηρῶν μάλλον ἢ κεχαρισμένα τοῖς Θεοῖς, ἢ τὰ παρὰ τῶν χρηστῶν. ἀλλ' ἐνομίζε τῆς Θεοῦ ταῖς παρὰ τῶν εὐσεβεστάτων τιμαῖς μάλα χαίρειν.



conabatur. Negabat enim (I. IV. p. 36. *) quemquam a Diis vel divitias, vel honores, vel imperium vel simile aliquid petere debere, quod mortalium nemo tanta perspicacia atque acumine sit, ut quid sibi conducat, quid non? ipse videre ac judicare possit. Hanc rerum aestimationem ad solos omnium felicitatum nostrarum auctores pertinere, eosque igitur universe tantum ea flagitandos esse, quae ipsi nobis utilia ac salutaria futura esse provideant.

Pertractata jam Socratis de vero Deo sententia, paucis eam quaestionem attingam, qualem nempe Graecorum sapientissimus hujus omnium rerum conditoris et rectoris naturam cogitaverit, omnisque corporis expertem, an vero e partium multitudine concretam? Non spondeo quidem, memet hanc rem ita illustraturum esse,

ut

*) Και ευχετο δε προς της Θεης απλως ταγαθα διδουαι, ως της Θεης καλλισα ειδοτας οποια αγαθα εσι. της δε ευχαμενης χρυσιον, η αργυριον, η τυραννιδα η αλλο τι των τοιστων, εδεν διαφορον ενομιζεν ευχεσθαι, η ει κυβειαν, η ριαχην, η αλλοτι ευχοιντο των φανερας αδηλων, οπως αποβησοιτο.



ut nulla prorsus dubitatio vel scrupulus relinquatur. Hoc enim in ambigua et uti videtur meditata Xenophontis brevitate expectari non potest quem unicum ducem sequor, quemque temporis sine dubio iniquitas impedivit, quominus magistri sui sententiam clare et perspicue exponeret. Nisi tamen lectores probabilem conjecturam penitus aspernari volunt, non celabo illos, hoc mihi summopere credibile videri, Socratem divinam mentem corpoream, simul vero simplicem, impatibilem, atque per omnem mundum, quem vi sua contineat, aequaliter fere intentam credidisse. Hanc Socratis sententiam fuisse inde suspicor, quod hominum animos non solum divinae mentis participes et socios appellavit verum eosdem etiam ex divina ratione haustos esse opinatus est *). Quae mea conjectura longe, credo, verisimilior videbitur, postquam ea enarravero, quae Socrates

Bb 2

da

*) Αλλα μην καν ανθρωπος γε ψυχη, ειπερ τι αλλα των ανθρωπινων, τει θειη μετεχει. IV. 3. Memor.

συ δε σαυτον φρονιμον τι δοξεις εχειν &c. —
 νην δε μονον αρα εδαμει ουτα σε ευτυχως πως δο-
 χεις συναρπασαι; I. c. 4.



de divinis naturis, inter summum Deum et hominum genus interjectis, existimavit.

Vehementer scilicet erraret, quicumque magnificis Socratis de summo Deo effatis inductus sibi persuaderet, illum patrios Deos, et antiquas gentis suae religiones contempsisse, quod ipsius accusatores inter alia ficta crimina ipsi objecisse notum est. At vero tam defensiones ab ipsius discipulis pro illo scriptae, quam universus viri hujus vitae tenor docent, eum vera nec simulata pietate avita numina coluisse, et sacros ritus a majoribus traditos constanter retinuisse. Ad hanc, uti prisca aetas judicabat, Socratis pietatem probandam ne hoc quidem urgebo, illum ceterorum Graecorum instar ad omnium Deorum altaria sacrificasse, atque Apollini Delphico suffragatum esse, qui cujusque civitatis religiones optimas esse judicaverat. Utrumque enim multi inter Graecos pariter et Romanos vel fecerunt, vel dixerunt, qui patrios Deos eorumque religiones vel aperte impugnabant, vel tacite saltem irridebant. Multo certiora vero opinionis, quam Socrates de Graecorum



eorum Diis habuit, indicia in illis Platonis et Xenophontis locis deprehenduntur, quibus affirmant, eum divinationem inter maxima Deorum beneficia retulisse, quippe qua homines ejusmodi res cognoscant, quas suis ipsi viribus assequi non possint, *) eundem porro tum somniis tum Daemonis cujusdam, quem sibi a prima pueritia adhaesisse asseverabat, vocibus et admonitionibus a multis inceptis revocatum, ad alia vero impulsus fuisse **), illum denique Xenophonti tum, quum de expeditione in Asiam suscipienda cogitaret, suafisse, Apollinis Delphici oraculum consulere. Quod si haec testimonia cum alio Socratis dicto, quo illis, quibus

B b 3

serum

*) τῆς δὲ μηδὲν τῶν τριῶν οἰομένους εἶναι δαιμονίων, ἀλλὰ πάντα τῆς ἀνθρώπινης γνώμης, δαιμονίαν εἶπεν. δαιμονίαν δὲ καὶ τῆς μαντευσίμου, ἃ τοῖς ἀνθρώποις ἐδωκάν οἱ θεοὶ μάθῃσιν διακρίνειν. — εἶπεν δὲ δεῖν, ἃ μὲν μάθοντας ποιεῖν ἐδωκάν οἱ θεοὶ, μανθάνειν. ἃ δὲ μὴ δηλὰ τοῖς ἀνθρώποις εἴη, πειρασθῆναι διὰ μαντικῆς παρὰ τῶν θεῶν πυνθάνεσθαι. τῆς θεῆς γὰρ ὅς ἂν ὦσιν ἴδω σημαίνειν.

***) σοὶ δ' εἶπεν, (Euthydemus) ὡς σωκράτης, εἰκάσιν ἐστὶ φιλικώτερον, ἢ τοῖς ἄλλοις χρῆσθαι, εἴγε μὴδὲ ἐπερωτομένοι ὑπὸ σε προσημαινῶσι σοὶ ἃ, τε χρῆ ποιεῖν καὶ ἃ μὴ, IV. 3, vide et I. c. 2. Memor. Socr.



rerum humanarum scientia non sufficeret, divinandi artem commendabat *); nec non cum Xenophontis, fidelissimi ipsius discipuli, religioso, et in omne divinationum et sacrificiorum genus proclivi animo comparamus; statuamus necesse est, Socratem non tantum detestandae invidiae causa, sed ex toto animo patrios Deos coluisse, atque veterum religionum acerrimum defensore[m] fuisse.

Licet vero neque Plato neque Xenophon Socratis sententiam de numinibus, quae Graecia adorabat, claris et perspicuis verbis enarraverint, vix tamen dubitari potest, illum gentis suae Deos ab omnium rerum parente generatos esse credidisse. Primum enim constat, in hac opinione omnes illos fuisse, qui post Socratem ipsius rationem secuti sunt; deinde ne apparet quidem, quomodo Socrates Deorum, quos san-

ctissimi.

*) Εἰ δὲ τις μάλλον ἢ κατὰ τὴν ἀνθρώπινην σοφίαν, ἀφελείσθαι βεβλοῖτο, συνεβέβλευε μαντικῆς ἐπιμελείσθαι. τὸν γὰρ εἰδοτὰ, δι' ὧν οἱ Θεοὶ τοῖς ἀνθρώποις περὶ τῶν πραγμάτων σημαίνουσιν, ἔδε ποτ' ἐρημὸν, εἶπε, γιγνεσθαι συμβεβλήσθαι θεῶν.



ctissime venerabatur, originem aliter explicare potuerit. Recte igitur posuisse mihi videor, illum mentem omnium rerum fictricem et altricem tanquam corporalem substantiam cogitasse, quippe e cujus sinu non solum hominum mentes, verum etiam innumerabiles divinae naturae effluxerint *).

Neminem vero unquam ita morosum fuisse existimo, ut eo offenderetur, quod Xenophon, Socratis interpres, de natura, quae omnia effecerit atque contineat, differens, non semper Dei, sed aliquoties Deorum vocabulo usus sit, quasi Socrates non unam quandam praestantissimam mentem, sed multos Deos mundi genitores et conservatores statuerit. Cuius enim facile succurrit, Xenophontem sine dubio propterea interdum cum populo locutum esse, quod sibi proposuerat, praeceptorem ab impietatis crimine, et invidiosa in religioni-

B b 4

bus

*) Ob hanc inprimis causam Deum τὴν ἐν παντὶ φρονήσιν sive mentem per rerum naturam falsam appellavit. l. c. 4. p. 150. Mem.



bus aliquid novandi suspicione liberare; quod nunquam certe affectus esset, si ubivis unum tantum Deum celebrasset, nusquam vero Deorum mentionem fecisset. Attentos tamen Xenophontis lectores illud effugere non potuit, eum istis locis, ubi de mundi hujus origine et administratione sermo est, unum saepius quam plures Deos memorasse. Ut vero omnes suspiciones vetaret, non semper θεὸς vocabulum usurpavit, uti Lib. I. c. 4. p. 48. 50. Ed. Thiem. verum plures circumlocutiones et voces invenit, quae idem significarent. Unum itaque summum Deum modo tanquam τὴν ἐν πᾶσι φρονήσιν (p. 50), modo tanquam τὸν ὅλον τὸν κόσμον συντάττοντα καὶ συνεχόντα (p. 230.) descripsit: modo denique simplici τῶν θεῶν nomine insignivit (p. 50. *).

Hanc

*) Socrates neque rationem, qua mundus hic effectus sit, neque materiam, e qua exstiterit, explicare ausus est, quod istiusmodi quaestiones mentis nostrae vires superare, atque earum investigationem non procul ab infania esse existimaret.



Hanc Socratis de mente divina Deorumque natura opinionem non omnes retinuerunt, quotquot illum audiverant. Xenophontem enim, Aeschinam atque Antisthenem solos Socraticos fuisse existimo, qui in communis doctoris sententia permanserunt. Plato contra Socratis disciplinam vehementer immutavit, uti statim ostendam. Quid denique Euclides Megarensis et Aristippus Cyrenaicus de divina natura senserint, accurate quidem definire non audeo, admodum tamen probabile est, utrumque Socratis doctrinam penitus reliquisse. Ille enim totus in Eleaticorum castra transisse videtur; hic vero de moribus, et bonorum atque malorum sine ita disputavit, ut cuivis appareat, eum ab illa via, quam Socrates ingressus erat, longe recessisse, et magistri sui pietatem tacite irrisisse *).

*) Licet non ignorem, magistri doctrinam non semper ex discipulorum cogitationibus aestimari posse; paucis tamen monebo, inter Euclidis successores Stilponem propterea ex Atheniensium urbe et finibus exire jussum esse, quod in Minervam paulo liberius jocatus erat: inter Aristippi vero sectatores Theodorum non vita minus, quam opinionibus dissolutorum omnes prorsus Deos sustulisse, atque idcirco Atheum appellatum esse.

SECTIO SEXTA.

*Qua Platonis de Deo et mundi origine
opinionēs explicantur.*

Jam inter Græcos atque Romanos pervulgatum erat, Platonem Socratis disciplinam non uno modo immutasse. Sicuti vero in reliquis philosophiæ partibus, ita in hac etiam de divina natura quæstione eo potissimum a præceptore suo distinguitur, quod simplici, apertæ atque in medio quasi positæ Socratis doctrinæ multa aliunde accersita immiscuit, prætereaque innumeras res investigare ausus est, quas hic tanquam desperatas reliquerat, quarumque scrutatores insanos appellare non dubitaverat. Hinc itaque factum est, ut Plato de Deo rebusque divinis differens majore quidem verborum strepitu et magnificentia rueret, neque tamen eam orationis perspicuitatem et efficaciam assequeretur, qua Socrates

rudes



rudes etiam et ineruditos animos alliciebat et detinebat, obstinatos vero et calla obductos vel mollebat vel frangebatur. Quam ob causam ne ardentissimi quidem viri huius admiratores negare sustinuerunt, illum non pauca loca, dum falsum illis splendorem illinere conaretur, adeo obscurasse, ut ipse aliorum potius ingenium in dissolvendis quos ipse nexuerat, nodis experiri, quam fructuosam et morum emendatricem Dei cognitionem lectorum suorum animis instillare voluisse videri queat. Quae omnia licet non immerito in Platone reprehendantur; hoc tamen fatendum est, illum Socratis vestigia persequentem multa ipsius philosophiae capita praecclare vel illustrasse, vel novis rationibus et argumentationibus auxisse atque confirmasse.

Universam vero de mundi ortu et architecto disputationem ita exordiebatur (vide Tim. Pl. p. 476. Ed. Bas. Graec. et Cicronis frag. de Universo, cuius plerumque verbis utar) ut duo rerum genera poneret, alteram earum, quae unum semper ac idem sint, neque ullum habeant ortum, et sola ratione intelligantur;



alterum vero earum, quae totae opinabiles sint, quaeque gignantur atque intereant, neque unquam vere esse possint. Hac vero rerum divisione constituta, observabat porro Plato, omne, quod gignatur, ex aliqua causa gigni oportere, quod nullius rei remota causa, origo inveniri queat. Neque igitur dubitari posse, hanc rerum universitatem, sive illa coelum, sive mundus sive alio vocabulo appelletur, ab aliquo temporis principatu ortum esse, quandoquidem illa cernatur et tangatur, et undique corporata sit, omne vero, quod sensus moveat, gignatur necesse sit, neque tamen sine causa existere possit.

Ipse vero Plato ingenue fatebatur, hujus universi parentem invenire valde difficile; et cum jam inveneris, in vulgus indicare fere nefas esse. Idcirco initio statim disputationis suae Timaei ore monet, si forte de divina natura ortuque mundi differens minus id, quod habeat animo, consequatur, ut tota dilucide et plane exornata oratio sibi constet, et ex omni parte secum ipsa consentiat: mirum id nemini esse debere,



debere, neque etiam quenquam, si probabilia proferantur, ultra aliquid requirere oportere. Aequum enim esse, meminisse, et illum, qui differat, eosque, qui judicent, homines esse.

Si quis igitur quaerat, quae causa tanti operis fabricatorem impulerit, ut rerum originem, et novam molitionem quaereret; nihil verius vel verifimilius dici posse, quam illum omnibus probitate praestantem, nemini vero invidentem omnia sibi similia generare voluisse. Quum vero Deus constituisset, bonis omnibus explere mundum, nihil vero mali admiscere, quoad natura pateretur, eum aeternam materiam, omnibus qualitatibus carentem, eamque non tranquillam et quietam, sed immoderate agitatam et fluctuantem sibi assumpsisse, eamque ex ordinato in ordinem adduxisse, quod hoc praestantius esse judicaret. Fas porro non esse, nec unquam fuisse, illum, qui optimus sit, quidquam nisi pulcherrimum facere, neque igitur aliter cogitari posse, quam Deum intelligentiam in animo, animum vero in corpore inclusisse, propterea quod videret, omne, quod intelligens sit, non



non intelligenti excellentius esse. Hinc Plato efficiebat, mundi architectum, antequam corpus inchoaret, sive materiam formaret, antiquiorem et ortu et virtute animum generasse, eamque tanquam dominum et imperantem obedienti corpori praefecisse. Hanc mundi animi generationem ita exposuit Plato, tanquam ipse Dei machinationibus interfuisset. Narrat nempe, omnium rerum parentem ex materia, sive uti rectius Cicero dixisset, ex essentia, quae individua sit, et quae semper unius modi sui que similis, et ex ea materia, quae corporibus dividua gignatur, tertium materiae sive naturae genus in medium admiscuisse, quod esset *eiusdem* natura et quod *alterius*; idque interjecisse inter individuum atque id, quod dividuum esset in corpore. Ea cum tria sumisset, unam in speciem temperasse, naturamque illam, quae *alterius* dicta sit, fugientem, atque ejusmodi copulationis alienam vi cum *eadem* conjunxisse *), et illud

*) ΤΗΣ ΑΜΕΡΙΣΤΗ ΚΑΙ ΑΕΙ ΚΑΤΑ ΤΑΥΤΑ ΕΥΧΘΗΣ ΘΣΙΑΣ,
 ΚΑΙ ΤΗΣ ΑΥ ΠΕΡΙ ΤΑ ΣΩΜΑΤΑ ΥΠΗΓΟΜΕΝΗΣ ΜΕΡΙ-
 ΣΤΗΣ ΤΡΙΤΟΝ ΕΞ ΑΜΦΟΙΝ ΕΝ ΜΕΣΩ ΣΥΝΕΚΕΡΑΣΑΤΟ
 ΘΣΙΑΣ



Iud tandem unum, quod ex tribus effectum sit, in sua membra partitum esse. Postquam vero mundi procreator animum ex mente sua genuisset, tum illum, omnè, quod concretum esset, et corporeum, huic menti subiecisse, eamque in medio collocatam ita per totum tetendisse, ut extrinsecus vestiretur, et corpore circumdaretur. Sic igitur mundum ad perfectissimum exemplar animae procreatum esse ex omni parte absolutissimum, planum atque rotundum, se ipsum versans, mente et anima praeditum, quod omni morbo atque senio careat, et nunquam divinae suae, sapientis et sempiternae vitae finem pertimescere debeat. Quum vero Deus ad spectabile coelum effecisset, tum illum praeterea solem tanquam lumen accendisse, caeteraque sidera, temporis quasi mensuras et instrumenta ita collocasse, ut orbes, quos

χσίας είδος, της τε ταυτη φύσεως αυ περι και της τε έτερη. και κατα ταυτα ζυνεσησεν εν μεσω τε τε αμερης αυτων, και τε κατα τα σωματα μερισθ. και τρια λαβων αυ τα οντα, συνεκερασατο εις μιαν ηπαντα ιδεην, την πατερη φυσιν δυσμικτον εσαν εις ταυτο συναρμοττων βια. μιγνυς δε μετα της χσίας, και εκ τριων ποιησαμενος εν, παλιν ολον τετο μοιρας οσας προσηκε διενειμεν, εκαστην δε εκ τε ταυτη και πατερη, και της χσίας μεμιγμενη.



quos ipsis assignasset, sine ullo errore confite-
rent. Neque tamen mundum hoc modo orna-
tum atque compositum perfectissimum optimi
artificis opus futurum fuisse, nisi tota animantium
genera procreata essent, quod earum formas di-
vina mens intra se ipsam haberet, atque se
ipsam intuens cernere posset. Deum itaque ad
coeli absolutionem perficiendam immortales na-
turas, tam illas, quae oculis cernantur, quam
illas, quae Deorum daemonumque nomine insi-
gniantur, convocasse, iisque munus dedisse, ut
se suamque rationem imitarentur, et mortalia cor-
pora, animarum domicilia, nec non dissolubi-
les animos gignerent: ipsum vero ad tempera-
tionem superiorem, in qua universae naturae
animum permiscuerat, revertentem, permixtio-
nis reliquias eodem ferme modo, nisi quod non
ita incorruptas, ut ea, quae semper idem,
aequasse atque ita humanos animos generasse,
quos statim sidera per distribuerit.

Ne vero oratio mea nimia velocitate lecto-
rum oculos atque animos praetervehatur, et
praecipitetur, magis quam procedat; ipsius cur-
sum



sum paululum sistam, atque Platonis dogmata haecenus narrata singillatim et propius inspiciam. Praeclare itaque existimavit Plato unam tantum praestantissimam mentem esse, omni corpore vacantem, atque ab omni mortali concretionē longe disjunctam, eandem porro immutabilem sibi que semper parem atque aequalem, postremo omnium rerum sive pulcherrimi mundi genitricem et effectricem *). Ad hunc vero summum, tantisque virtutibus praeditum deum illum haec imprimis argumentatio perduxisse videtur: nihil eorum quae gignantur et moveantur,

tur,

*) Plato non solum in Timaeo verum etiam in Phaedone, in dialogis suis de Republica, aliisque plurimis locis Deum inter res illas sive substantias refert, quae semper eadem sint, neque ullis partibus consistit. Nunquam vero, quantum ego quidem scio, haec suam opinionem firmis rationibus probare annisus est, nisi quod saepius dixit, omne, quod ex partium multitudine concretum sit, non solum mutationi, verum etiam interitui obnoxium esse. Huic vero ipsius opinationi ea omnia opponi potuissent, quae multis locis de aeterna quadam materia disputaverat. — Ceterum Platonem primum inter Graecos fuisse existimo, qui Deum incorporalem cogitaverit. Nulli saltem antiquiorum philosophorum eadem notio aliqua fiducia assignari potest.



tur, sine causa fieri, et naturam igitur quandam esse oportere, quae omnium motuum causa sit, ipsa vero extrinsecus non pulsetur, cujusmodi motus principium recte ipsi anima appellari videbatur (de Leg. X. §. 9. seq. *). Quod vero res maximae et praestantissimae (§. II. ib. **) eodem semper modo, certaue et immutabili ratione volvantur; illud abun-

*) Αρχὴν ἀρα κινήσεων πάσων καὶ πρώτην εἰ τε ἐσωσεγενομένην καὶ ἐν κινημένοις ἦσαν τὴν αὐτὴν κινησάν, φησομεν ἀναγκαιῶς εἶναι πρεσβυτάτην καὶ κρατίστην μεταβολῶν πάσων. τὴν δὲ ἄλλοι κινημένην ὑφ' ἑτέρων, κινησάν δὲ ἑτέρα, δευτέρων. — τὸ ἑαυτο κινεῖν φησὶ λόγον εἶναι τὴν αὐτὴν ἦσαν; ἢν περ τὴνομα ὁ δὴ πάντες ψυχὴν προσπαγορευομεν; φημιγε. εἰ δὲ ἐστὶ τῆτο ἕτως εχόν, ἀρα ἐτι ποθέμεν μὴ ἰκανῶς δε δειχθῆαι ψυχὴν ταῦτον ὄν καὶ τὴν πρώτην γενέσειν καὶ κινήσειν τῶν τε ὄντων καὶ γεγονότων καὶ ἐσομένων, καὶ πάντων αὐτῶν ἐναντιῶν τῆτοις; ἐπειδὴ γε ἀνεφάνη μεταβολῆς τε καὶ κινήσεως ἀπάσης αἰτία ἦσα;

**) Τὸ κατὰ ταῦτα δητὲ καὶ ὁσαυτῶς, καὶ ἐν τῶ αὐτῶ, καὶ περὶ τὰ αὐτὰ, καὶ πρὸς τὰ αὐτὰ καὶ ἕνα λόγον καὶ τάξιν μίαν ἀμφὼ κινεῖσθαι λεγόντες, νῆν, τὴν τε ἐν ἐνὶ φερομένην κινήσειν σφαιρῆς εὐτορῆς ἀπεικασμένα φερῆς, ἕκ αν ποτὲ φάνειμεν φανλοὶ δημιουργοὶ λόγω καλῶν εἰκωνῶν. — Ὁρθότατα τὰ λεγεις. — ἕκ αν αν ἦγε μὴδε ποτὲ ὁσαυτῶς, μὴδε κατὰ τὰ αὐτὰ, μὴδε ἐν ταῦτῶ, μὴδε περὶ ταῦτα, μὴδε πρὸς ταῦτα φερομένη, μὴδ' ἐν κόσμῶ, μὴδ' ἐν τάξει, μὴδε ἐν τίνι λόγω, κινήσει, ἀνάγκῃς ἀν ἀπάσης εἰη ζυγγενῆς.



abunde demonstrare, tantam motuum et ordinum constantiam a mente quadam perfectissima profectam esse et conservari.

Sine ullis vero idoneis argumentis ponebat Plato, ab omni aeternitate materiam quandam exstitisse (in Tim. 484. 85. *) omnibus qualitatibus orbatam, quae neque ignis neque aer, neque terra vel aqua esset, in quamvis vero harum naturarum facile mutari posset, atque ex hac causa divinae mentis vi omnia elementa, quaeque ex illis conflata sint, effecta esse. Nullam praeterea rationem afferebat, quare hanc nudam substantiam ab anima quadam, omnis rationis experte, et perturbationum plena nunquam non agitatam fuisse opinaretur. Haec illa anima est, quam ipsius inventor, uti Plutarchus recte observavit (Oper. T. X. p. 211. 12. **)

C c 2

in

*) διο την τῆ γεγονότος ὁρατῆ και παντως αισθητῆ μητέρα τι ὑποδοχην, μητε γην μητε ἀέρα μητε πυρ μητε ὕδωρ λεγομεν, μητε ἕσα εκ τῶτων, μητε ἐξ ἧν ταυτα γεγονεν, ἀλλ' αἰσθητον εἶδος τι και ἀμορφον πανδεχες. — Paulo ante eam appellat πάσης γενεσεως ὑποδοχην, και τηθηνην.

*) την δε της ψυχης εν φιληβῳ μεν, απειριαν κεκληκεν, αριθμῶς και διαφορας περιησιν ἔσαν, ελλει-



in Philebo suo infinitatem, nullum neque defectus et abundantiae neque pugnae et discordiae modum habentem, in Timaeo vero (p. 478.) τὴν περὶ τὰ σώματα γιγνομένην μερίσιν ἔσιον sive τὴν τῶν ἑτέρων φύσιν, porro in suis de legibus commentariis animam rationis expertem et nocendi cupidam in Politico denique necessitatem et insitam cupiditatem, pristinaeque confusions sociam appellavit (p. 122. *). Ejusmodi vim materiae inhaerentem Platonem statuere, oportebat, quum semel dixisset, materiam immoderate impulsam fuisse, antequam Deus ad illam formandam accederet. Nihil vero illum

ἐλαϊψείως καὶ ὑπερβολῆς καὶ διαφορᾶς καὶ ἀνομοιοτήτος, ἐν αὐτῇ περὶ τὰς ἔδρας, ἔδρα μετρον ἔχουσαν. ἐν δὲ τιμαίῳ, τὴν τῆ ἀμερίσιν συγκείμενην φύσει, καὶ περὶ τὰ σώματα λεγόμενην μερίσιν — τὴν ἀτάκτον καὶ ἀορίστον, αὐτοκίνητον δὲ καὶ κινήτικὴν ἀρχὴν, ἐκείνην, ἣν πολλὰ μὲν ἀναγκὴν, ἐν δὲ τοῖς νομοῖς (X. §. II.) ἀντικρὺς ψυχὴν ἀτάκταν ἐφῆκε καὶ κακοποιόν. τῶν δὲ αὐτῶ τῶν σώματοειδῶν τῆς συγκράσεως αἰτιῶν, τὸ τῆς παλαιᾶς φύσεως ζυγτροφόν, ὅτι πολλῆς ἢ μετοχῶν ἀταξίας, πρὶν εἰς τὸν νῦν κόσμον ἀφικεσθαι. παρὰ μὲν γὰρ τῶν συνδεντός, πάντα καλά κερτῆται. παρὰ δὲ τῆς ἐμπροσθεν ἕξεως, ὅσα χαλεπὰ καὶ ἀδίκῃ ἐν βραχὺ γίνονται, ταῦτα ἐξ ἐκείνης αὐτὸς τῶν ἔργων, καὶ τοῖς ζῶσις ἐναπεργαζέται.



illum cogebat, statuere materiam ab infinito tempore sine ordine motam vel motricem etiam vim, si quam credere volebat immoderatarum perturbationum plenam fuisse. Hac animae fictione illud quidem affecutus est, ut Deum ab omni malorum culpa liberaret, quippe quae universa in invictam animae pervicaciam rejiciebat, (vide Plut. in l. c. et Pl. de Leg. X. §. II.) idem tamen figmentum in alias ipsum multo majores difficultates induxit, quas meo quidem judicio effugere potuisset. Persuaserat nempe sibi Plato (Op. P. 122. *) summum mundi rectorem certis quibusdam temporibus ab illius administratione tanquam a laborioso negotio requiescere, et gubernaculis e manibus dimissis rerum universitatem sibi ipsam relinquere. Quoties vero Deus ab opere faceffit, extemplo irrequietam illam atque divina potestate vixdum coercitam

Ε c 3

ani-

*) διο δη και τούτηδη θεος ο κοσμησας αυτον, καθοραν εν αποριαις οντα, κηδομενος ινα μη χειμασταις υπο ταραχης διαλυταις, εις τον της ανομοιοτητος απειρον οντα τοπον δυη, παλιν εφεδρος αυτε των πηδαλιων γιγνομενος τα νοσησαντα και λυθεντα εν τη κατ' αυτον προτετα περιωδη σρεψας κοσμι τε και επανορθων αδιαυκτον και αγηρω απεργαζεται.



animam in pristina scelera erumpere atque omnem mundum immoderatis motibus arietare, quibus sine dubio res omnes in antiquam confusionem praecipitarentur, nisi Deus laxatas per aliquod tempus mundi habenas resumeret. Quod vero Plato unquam ejusmodi vel imbecillitatem, vel negligentiam, vel otii desiderium, vel pravam denique ludendi libidinem in Deo cogitare potuerit, eo magis mirandum est, quum ipse alio loco summo animi impetu adversus illos pugnet, qui haec similiaque vitia divinae naturae tribuere sustinebant, neque ulla illum necessitas ad impias hasce opiniones adigeret. Quamvis enim furenti animae tantam potentiam tribuere voluisset, ut ne summi quidem Dei virtus sufficeret, ad immoderatas ejus jactationes reprimendas, nullam tamen causam video, quare divinam mentem sponte quasi sive laboris taedio mundi gubernationem interdum deserere opinatus sit.

Nusquam vero Plato densioribus tenebris offunditur, atque in sua ipsius verba magis se implicat, quam illis locis, ubi mundi animae
origi-



originem explicare conatur. (in Tim. p. 477. 478. Ed. Bas. Gr.) Fingebat nempe Plato, Deum rationem sive mentem, sive uti Cicero ait, intelligentiam *), suae ipsius naturae vel virtutem vel partem in aeterna illa anima immoderatorum motuum genitrice, vi inclusisse, (quod puram mentem sine ulla media natura cum corpore copulare nefas sit) eumque hac violenta divinae mentis, et animae rationis expertis, conjunctione sive mixtione illum animum effecisse, qui universitatis corpori illigatus totius mundi, perfectissimi animalis, principatus factus sit. Hanc mundi animam e contrariis naturis con-

C c 4

flatam

*) ἴσθι δ' αὖν χωρὶς ψυχῆς, ἀδυνατὸν παραγενέσθαι τῷ. διὰ δὲ τὸν λογισμὸν τὸν δε, ἴσθι μὲν δε ψυχῆ, ψυχὴν δε ἐν σώματι συνίστας τὸ πᾶν ζῶν τεκταίνετο, ὅπως ὅτι καλλίστον εἴη κατὰ φύσιν ἀριστὸν τε εὐργὸν ἀπειργασμέγιος. Haec sic latine reddidit Cicero: intelligentiam autem ulli rei adiunctionem esse, sine animo nefas esse. Quocirca intelligentiam in animo, animum conclusit in corpore. — Melius vero sibi que convenientius Cicero pro *intelligentiam* mentem, rationem sive consilium; pro *animo* vero animam parauisset. — Mentem vero quam Deus vi cum anima copulavit, Plato, modo τὴν ἀμεριστὸν καὶ αἰὶ κατὰ ταῦτα ἐχθεὴν φύσιν, modo τὴν ταυτὴ φύσιν, modo ταυτο appellat, p. 478. loto sup. cit.



flatam duas in primis ob causas invenisse videtur: primum propterea quod sine rectore ejusmodi animo mundum non ex omni parte absolutum fore sibi persuaserat; deinde, ut animae, antiquae materiae inhaerentis furor, et immodicae perturbationes melioris naturae admixtione quodammodo mitigarentur et sedarentur. Idem vero nunquam rationem vel modum exposuit, quomens nullis partibus constans cum corporea anima ita conjuncta sit, ut utraque per omnem mundum fundi atque tot novi Dei inde decerpi possent, quot sidera coelo infixata sint. Non magis de alio nodo solvendo cogitavit: quomodo nempe factum sit, ut ex mentis et animae temperatione reliquiae quaedam restarent, postquam aliquanto plus alterius naturae ipsis admixtum fuerit, innumerabili humanarum animarum multitudini suffecerint. Hae difficultates et repugnantia ita obviae atque apertae sunt, ut plane incredibile sit, Platonem eo, quo praeditus erat, acumine illas non detexisse, et statuendum itaque videtur, cum has quaestionibus propterea non attigisse, quod res adeo inter se pugnantes conciliare ipse desperaret.



Quodsi vero hasce ineptias atque errores vel caeteris Platonis meritis vel mentis humanae imbecillitati condonamus; non possumus non fateri, neminem inter Graecos de divina natura, et totius mundi administratione dignius sensisse. Legant quaeso, quoscunque nugae supra adductae a Platone alienarunt, decimum ipsius de legibus librum, quo divinae providentiae causam summa verborum et argumentorum pondere defendit. Proficiscitur nimirum ab excelsa hac et fero cognita sententia: Deum omnibus, quae maximae cogitari possint, virtutibus praeditum esse, neque in ipso vel malitiam vel alia vitia locum habere: et hinc statim concludit, Deum neque negligentia, neque molitie, neque alia quadam pravitate a dignissimo ipsius majestate negotio, scilicet rerum gubernatione avocari posse *).

Cc 5

magno:

*) ηκειον γαρ πα και παρην τοις νυν δη λεγουμενοις, ως αγαθοι γε ουτες κροσην αρετην, την των παντων επιμελειαν οικειωτατην αυτων ησαν κερτηνται. — — τι δε; κμελειαν τε και αργιαν και τρυφην εις αρετην ψυχης θησωμεν; — κκειη του χεθεου χρητεον εχειν ηδης τοικτον ογε τις αυτος μισει. τη δε τι τοικτον φθηνγησθαι κει-



magnopere illos errasse, qui Deum magna quidem curare, parva vero negligere existimaverint. Quam enim omnes, quorum animos impietatis insania non prorsus corruperit, concedant, Deum omnia posse atque intelligere; necessario inde sequi, praestantissimam et sapientissimam naturam ne minimas quidem res sine flagitio negligere posse. Qua enim alia ratione de Deo pejus existimari posse, quam si quis Deo illam virtutem inesse neget, sine qua ne homines quidem secundae vel tertiae notae laudari soleant. Nullum vero unquam imperatorem vel patrem familias, vel civitatis rectorem vel navigii denique dominum laudes meruisse (S. 18. *) nisi praeter res magni momenti, parva

ρωμενω εκ επιτροπτεον. — αρ' ε κατα δυο ειση το τοιςτοιον πραττει ο πραττων ειτε θεος, ειτ' ανθρωπος; — κειωδη; — λεγομεν. η διαφερον εδεν διομενος ειναι τω ολο αμελημενων των σμικρων. η ραθυμια; και τρυφη, ει διαφερει, ο δε αμελει. η εστιν αλλως πως γιγνομενη αμελεια;

*) εμεν εδε κυβερνηταις, εδε στρατηγοις, εδε οικονομοις, εδ' αυ τισι πολιτικοις, εδ' αλλω των τοιςτων. εδενι χωρις των ολιγων και σμικρων πολλα η μεγαλα. εδε γαρ ανευ σμικρων της μεγα-



parva quoque, sine quo illae non constant, pari studio providerit atque administraverit. Judicat praeterea Plato, vel immoderati doloris, vel iniqui adversus deum animi indicium esse, si quis se resque humanas a Deo negligi putet, quod plura ipsi adversa et luctuosa accidant, quae a divina providentia facile propulsari potuisse videantur. Summum quippe mundi genitorem et praesidem rerum universitatem ita descripsisse, ut maxima inde bonorum et felicitatum vis existeret, et quaevis ejus pars ea faceret et pateretur, quae tam ipsi quam caeteris membris maxime profutura sint. Quemvis igitur (§. 16. *)

re.

μεγαλης φασιν οι λιθολογοι λιθους ευ κεισθαι —
μη τοιουν τον γε θεον αξιωσασμεν ποτε θνητων
δημιουργων φαυλοτερον. οι τα προσηκοντα αυ-
τοις εργα, οσωπερ αν αμεινυς ωσι, τωσω ακρι-
βεστερα και τελωτερα μια τεχνη σμικρα και
μεγαλα απεργαζονται. των δε θεων οντα τε σο-
φωτατον, βελομενον τ επιμελεισθαι και δυνα-
μενον, αν μεν ραον ην επιμελησθαι σμικρων
οντων, μηδαμη επιμελεισθαι, καθωπερ κεργον
δειλοντινα δια πονυς ραθυμεντα.

*) Πειθωμεν τον νεκριαν τοις λογοις, ως τω τε παν-
τος επιμελεσμενω προς την σωτηριαν και αρετην
τε ολα παντ εσι συντεταγμενα, αν και το με-
ρος εις δυναμιν εκασον το προσηκον πασχει και
ποιει, τωτοις δεισιν κερχοντες προστεταγμενοι
εις.



reputare debere, se quoque immensi quasi corporis particulam atque ad promovendam totius incolumitatem natum, non vero universum ipsius tantum causa constitutum esse. Illud vero neminem conturbare debere, quod vincula non satis perspiciat, quibus sua ipsius salus cum communi rerum omnium salute conjuncta sit, nec nisi raro intelligat, quomodo illud, quod ad augendam totius mundi perfectionem faciat, ad suam quoque felicitatem pertineat. Quemvis enim hoc saltem observare posse, universum ita ordinatum esse et administrari, ut virtus semper utilis sit, et victrix tandem ex omnibus calamitatibus emergat: vitium vero nunquam non noceat, suoque furore pessundet. Summum porro nefas esse, vel temporis puncto cogitare velle, strenuum virtutis sectatorem, qui quantum

tum

ετις. — ὡν ἐν καὶ τὸ σὸν, ὡ σχετλια, μοριον
 εἰς τὸ παν ζυγτεινει βλεπον χει, καιπερ παν-
 σμιπρον ον, σε δε λεληθε περι τριτο αυτο ὡς γε-
 νεσις ἐνεκα ἐκεινθ γιγνεται πασα. ὅπως ἡ ἡ
 τῶ τῆ παντος βιω ὑπαρχουσα ευδαιμων ποια,
 εχ ἐνεκα σε γιγνομενη· συ δε ἐνεκα ἐκεινθ. —
 συ δε αγανακτεις, αγνοων, ὅπη τὸ περι σε
 ερισον τῶ παντι ζυμβαινει, καὶ σοι κατὰ δυ-
 ναμιν τὴν τῆς κοινῆς γενεσεως.



tum humanae vires permitant, Deum imitari, atque ad ipsius exemplar animum suum formare studuerit, a Deo, amica ipsi et simili natura, negligi, vel vivum etiam atque mortuum mali aliquid pati posse. (Lib. X. p. 334. de Rep. et de Leg. X. l. c. *). Bonum itaque et honestum virum bene de se ac fortuna sua sperare posse, quum hanc legem fixam et immutabilem esse sciat, nemini non illam sortem contingere, quae cujusvis vitae et factis respondeat, et quaecunque adversa malorum specie in ipsum incurrant, ea omnia in melius aliquando casura atque non solum pro universis verum etiam pro ipso futura esse. Quae postquam Plato dixisset, hoc denique effatum tanquam Deo plenus e sancto pectore effundit, neminem in

*) Και το μεν ωφελειν αγαθον αιει πεφυκος, οσον αγαθον ψυχης, διανοηθη, το δε κακον, βλαπτειν. ταυτα παντα ζυιδιαν, ερηχανησατο πε χειμενοι εκασον των μερων, νικασαν αρετην, ηττωμενην δε κακιαν εν τω παντι παρεχοι μαλις' αν και ραση και κριση. — εν τε ζωη, και εν πασι θανατοις, πασχειν τε και ποιειν, α προσηκον δραν εσι τοις προσφερασι της προσφερεις. ταυτης της δικης ετε ου μηποτε ετε ει αλλος ατυχης γενομενος επευζηται περιγενεσθαι θων. αν πασων δικων διαφεροντως σταζαντε οε ταζαντες, χρεων τε εξευλαβεισθαι το παραπαν, ε γαρ απεληθηση υπ' αυτης.



in tam profundas terrae specus descendere, neque in adeo excelsas coeli regiones evolare posse, ut legem illam divinam, qua virtus ex omnibus tandem adversitatibus emergat, vitium vero deprimatur *), effugere queat.

Has praeclaras Platonis voces nemo, credo, legere potest, quin fateatur, eum magistri sui de divina providentia disputationes novis et optimis quidem, quas humana ratio invenire potest,

*) *ἢχ ἔτο σμικροσάν δυσή κατά το τῆς γῆς βάθος. ἢδὲ ὑψελος γενόμενός, εἰς τὸν ἔρανον ἀναπτῆση. τισίς δὲ αὐτῶν τὴν προσηκῶσαν τιμωρίαν, εἴτ' εὐδαμὲ μὲνων, εἴτὲ καὶ ἐν ἀδῆ διαπορευθεῖς, εἴτὲ καὶ τῆτων εἰς ἀγριωδέτερον ἐστὶ διακρημισθεῖς τόπον. His persuasionibus confirmatus animo, has voces edebat: multo satius esse, vel acerbissimam mortem subire, quam peccatum vel flagitium ullum admittere, longaque illiun miseriorem reputandum esse, qui omnibus rebus abundans vitam sceleribus contaminatam agat, quam qui vel ipsa morte debitam legibus poenam persolvat. vid. Plat. Gorgiam in p. 312. τὸν μὲν γὰρ καλὸν καὶ ἀγαθὸν ἀνδρᾶ καὶ γυναῖκα, εὐδαιμόνα εἶναι φημι, τὸν δὲ ἀδικὸν καὶ πονῆρον, ἀθλίον. — κατὰ δὲ γε τὴν ἐμὴν δοξάν ὡ Πῶλε ὁ ἀδικῶν τε καὶ ὁ ἀδικός, ἀπαντῶν μὲν ἀθλίος, ἀθλιότερος μὲν τοῖνον ἔαν. μὴ δίδω δίκην, μὴ δὲ τυγχάνῃ τιμωρίας ἀδικῶν. ἤττον δὲ ἀθλίος ἔαν δίδω δίκην, καὶ τυγχάνῃ δίκης ὑποθῆναι τε καὶ ἀνδρωπῶν.*



test, argumentis amplificasse. Huic laudi aliam ipsi propriam adjunxit, quod nempe multo liberius, quam Socrates fecerat, eorum insaniam coarguit, qui Deos muneribus flecti, atque a justa poena improbis infligenda averti posse sibi persuaserant. Exitiosum hunc errorem de turpi mundi ratione, vel mutuo utilitatum commercio, quae inter Deos et homines intercedere putabatur, gravissime tam in Eutyphrone quam in secundo de republica dialogo, maxime vero in ultimo de legibus libro impugnavit, eosque, qui tantam pravitatem Diis affingerent, non minus impios dicendos esse judicavit, quam qui divinam naturam penitus tollerent, eamve rebus humanis consulere negarent. Ejusmodi quippe homines ne de Diis quidem tam bonam opinionem quam de hominibus non prorsus perditis habere. Quem enim illum vel imperatorem vel judicem, toleraturum esse, qui donorum magnitudine corruptus vel exercitum vel justam causam prodere sustineat? Quem porro illi vel navis rectori, vel agricultori non indignaturum esse, qui ob praesens aliquod lucrum vel navem vel fundum suum ab inimicis perdi ac

di-



divastari p̄tiatur? Si qui igitur credant Deūm, virtutis auctorem et defensorem, malitiae verò acerrimum vindicem blanditiis atque muneribus moveri posse, eos optimam naturam ejusmodi pastoribus similem fingere, qui gregem suum lupis dilacerandum traderent, ut aliquam prae- dae particulam tanquam patientiae suae merce- dem acciperent.

De popularibus Græcorum diis Plato fac-
pius communi civium suorum opinioni adeo
convenienter, alibi vero (in T. p. 481. *)
adeo

*) Περὶ δὲ τῶν ἄλλων δαιμονῶν εὐτεὺς καὶ γινῶναι τῆν
γενεσίν, μείζον ἢ κατ' ἡμέας. Πείθειν δὲ τοῖς
εἰρηκοσίν εμπροσθεν ἐκγονοῖς μὲν θεῶν εἶναι ὡς
εἶπασαν, σαφῶς δὲ πρὸς τὰς τε αὐτῶν προγονοὺς
εἰδοσίν. ἀδυνατόν ἐν θεῶν πίστει ἀπίσειν, και-
περ ἀνευτε εἰκοτῶν καὶ ἀναγκαιῶν ἀποδείξεων
λέγασιν; ἀλλ' ὡς δίκαια φάσκουσιν ἀπαγγέλλειν
ἐπορευέας τῷ νόμῳ πισυεῦτεον. Reliquorum au-
tē, quos Græci δαιμόνας ἀπpellant, nostri
(opinor.) Lares, si modo hoc recte conver-
sum videri potest, et nosse et nuntiare ortum
eorum; majus est, quam ut profiteri scribere
nos audeamus. Credendum nimirum est ve-
teribus et p̄tiscis; ut ajunt; vitis, qui se
progeniem deorum esse dicebant. Itaque eo-
rum vocabula nobis prodiderunt. Nosse au-
tem generatores suos optime poterant, ac dif-
ficile factū est, a diis ortis, fidem non hā-
bere;



adeo dubitanter atque ambigue loquitur, ut modo illum omnibus Graecorum superstitionibus imbutum fuisse, modo vero vulgi numina penitus contempsisse tibi persuadere queas. Quod si vero omnia Platonis loca, quibus de popularibus Diis disputavit, inter se atque cum ceteris ipsius philosophiae partibus comparamus; facile observabimus, illum non magis quam Socratem patrios Deos irrifisse, omnia vero, quae de illorum ortu, rebus gestis et fatiis vel a Poetis ficta erant, vel ab indocta multitudine credebantur, uti a tali viro expectari potest, pro anilibus et impiis fabulis habuisse. Quam suam sententiam licet in Timaeo obscure tantum prodatur, admirabilis tamen libertas, qua Homerum, Hesiodum et Orphicos, ejusmodi fabularum auctores et propagatores, castigavit, atque e quavis bene constituta civitate exterminandos esse censuit, abunde ostendunt, eum non solum a vulgaribus erroribus alienum fuisse, verum aequales etiam

bere: quanquam nec argumentis, nec rationibus certis eorum oratio confirmatur. Sed quia de suis rebus notis videntur loqui, veteri legi morique parendum est. Cic.



etiam suos a pestiferis his animi morbis liberare voluisse. Omnia vero, quae Graecia venerabatur, numina, quaeque ipse modo Deos, modo daemones appellat, (in Tim. p. 481. Cic. frag. p. 80.) sine dubio fiderum instar ex divino animo per mundum intento hausta et generata fuisse opinatus est *). Utrumque porro Deorum genus, tam eorum, qui moveantur et cernantur, quam eorum, qui eatenus tantum ostendantur, quo ipsi velint, inter summum Deum et hominum genus interjectum esse sibi persuaserat: alterum tamen ab altero (vid. Tim. l. f. c. et Epinom. p. 639.) ita distinguere solebat, ut diceret, eos, qui cernantur, corporibus praesertim coelestibus, reliquos vero terrestribus rebus praepositos esse, et hoc maximum negotium habere, ut hominum custodes divinam voluntatem mortalibus significant, et horum rursus vota et necessitates ad communem Deorum

*) Haec mea conjectura verbis quidem Platonis, quae supra e Timaco apposui, refelli videtur. Nemo vero non intelligit, illum hoc loco communes opiniones non aperte impugnare voluisse.



rum hominumque parentem perferant. Hisce opinionibus imbutus Plato Deorum apparitiones, nec non omnia divinationis genera facile explicare et defendere poterat: valde tamen suspicor, illum his vulgi superstitionibus multo minus quam Socratem atque Xenophontem creditum fuisse.



SECTIO SEPTIMA.

*Quae Aristotelis de Deo sententiam
continet.*

Aristoteles, omnium sine dubio Platonis auditerum longe clarissimus, multa magistri sui, eaque optima retinuit, alia correxit, et cum virtute mutavit, et eos denique errores, qui in Platone maxime offendebant, depoluit et impugnavit, neque tamen arduam de Deo doctrinam ita perpolivit, et consummavit, ut non magni post illum viri novi aliquid invenire, et addere possent. Quin potius Aristoteles non paucos locos, a Socrate atque Platone praeclare tractatos, consulto praetermisit vel leviter tantum attigit, et in alios non minores nec leviores, quam quos vitare volebat, errores atque difficultates delapsus est, quae tanti viri peccata cuivis documento



mento esse debent, quam difficile hic fuerit non errare, quotque summorum virorum labores opus fuerint, ut melior saltem eruditissimae gentis pars ab antiquis et insitis paene superstitionibus disjungeretur, atque ad saniores, nec eam tamen ex omni parte perfectam de Deo doctrinam perduceretur.

In hac vero rationum investigatione, quibus Aristoteles Deum esse demonstravit, statim ab illo dogmate incipiam, quod ipse totius doctrinae fundamentum posuit, reliquis omnibus omissis, quae idem naturae scrutator de rerum principiis, de quatuor elementis eorumque qualitatibus, denique de rebus, quas inde nasci putavit, vel vere vel subtiliter commentatus est. Haec enim vel ita pervulgata sunt, ut ea repetere otiosi nimis, suoque et aliorum tempore abutentis hominis esset, vel adeo etiam longam et accuratam orationem requirerent, ut verendum esset, ne operosa ejusmodi rerum, quarum studium apud plerosque dudum extinctum est, enarratio non voluptatem et utilitatem, sed fastidium et satietatem allatura sit.



Quodsi igitur Aristotelis rationem cum Anaxagorae, Socratis et Platonis placitis comparamus; apparet, illum initio quidem longe aliam et nullius antea vestigiis tritam viam ingressum esse, mox vero cursum suum ita inflexisse, ut cum illis tandem, a quibus discedere videbatur, sese conjungeret. Negabat Aristoteles, quod triumviri illi omnibus viribus probare annisi erant, mundum certo quodam tempore a Deo effectum esse. Inprimis vero adversus Platonem pugnabat, quem supra docui statuisse, aeternam materiam ab infinito tempore vi quadam animali a Deo diversa immoderate agitatum fuisse. Relictis igitur vel refutatis antiquiorum ratiocinationibus hoc primum animadvertibat, (Phys. Aufc. VIII. I. 5.) omne quidem, quod moveatur, externo pulsu sive externa quadam re moveri, neque tamen infinitam rerum se invicem moventium multitudinem cogitari posse, quod infinitum neque initium neque finem habeat. Necessse itaque esse, aliquo loco consistere atque vim quandam sive naturam ponere, quae omnis motus, omniumque rerum, quae motu gignantur, causa sit, neque tamen

ipsa



ipfa extrinsecus moveatur. Istiusmodi vero motus principium ne suo quidem et interno motu impelli et agitari posse, quum plane cogitari non queat, aliquid in motu esse, et se ipsum tamen movere. (ib. c. 6.) Hisce veluti gradibus ad primarium suum decretum perveniebat, naturam quandam existere, ipsam immotam, quae vero omnium motuum, quibus mundus ejusque partes versentur, fons atque causa sit. Nemo vero non videt, Aristotelem priscorum Physicorum instar ejusmodi motus principium defendere, neque tamen ullam divinae naturae mentionem facere potuisse. Ut hujus itaque erroris suspicionem vitaret, substantiam vel potestatem illam, quam omnis motus genitricem appellabat, ita descripsit, ut quis intelligeret, eam ipsi neque casum, neque fortunam, neque naturam quandam sensus et rationis expertem, sed praestantissimam aliquam mentem visam esse. Summa itaque eloquentia in libro quodam, cujus fragmentum apud Ciceronem invenitur, (de Nat. Deor. II. 37. *) de-

D d 4

mon-

*) Praeclare ergo Aristoteles, si essent, inquit, qui sub terra semper habitavissent, bonis et illu-



monstrabat, coelestium corporum magnitudinem pulcritudinemque, atque in omni aeternitate ratos immutabilesque cursus, horarum porro ac tempestatum vim atque opportunitates, omnium denique reliquarum rerum fructus et utilitates non nisi a Diis sive a natura quadam divina.

illustribus domiciliis, quae essent ornata signis, atque picturis, instructaque rebus iis omnibus, quibus abundant ii, qui beati putantur, nec tamen exissent unquam supra terram: accipissent autem fama, et audirione, esse quoddam numen et vim Deorum: deinde aliquo tempore, patefactis terrae faucibus, ex illis abditis sedibus evadere in haec loca, quae nos incolimus, atque exire potuissent: cum repente terram, et maria coelumque vidissent; nubium magnitudinem; ventorumque vim cognovissent, adspexissentque solem ejusque magnitudinem pulcritudinemque, tum etiam efficientiam cognovissent, quod is diem efficeret, toto coelo luce diffusa: cum autem terras nox opacasset, tum coelum totum cernerent astris distinctum, et ornatum, lunaeque luminum varietatem tum crescentis, tum fenescens, eorumque omnium ortus, et occasus, atque in omni aeternitate ratos, immutabilesque cursus; haec cum viderent, profecto et esse Deos, et haec tanta opera Deorum esse arbitrarentur. — Quae verba postquam descripsi, succurrit mihi conjectura, vel Ciceronem ipsum memoriae lapsu, vel etiam indiligentes librarios pro Platonis nomine Aristotelis vocabulum posuisse. Notum enim est, eandem prorsus fictionem a Platone inventam atque omnibus orationis coloribus expictam fuisse.



divina effici et describi potuisse. Summis præterea laudibus Anaxagoram ornabat, quod hic primus tantum rerum ornatum non casu quodam sive fortuna, sed excellentissima quadam mente constitutum fuisse dixerit. (Met. I. c. 3.) Postremo sine ullis verborum ambagibus affirmabat, Deum ipsi omnium rerum causam efficientem videri. (Met. I. c. 2. *).

Hanc vero omnis motus causam unicam esse, duobus potissimum argumentis vincere studebat. Primum enim ipsi veritati et naturae convenientius esse videbatur, in explicandis rerum mutationibus finitas potius quam infinitas causas, iterumque unam potius quam plures ponere, si una nempe sufficiat. (Phys. Auf. VIII. 6.) Deinde unam motuum causam propterea statui oportere judicabat, quod totius mundi

D d 5

mo-

*) ὅτε γὰρ θεός, δοκεῖ τὸ αἰτιὸν πᾶσιν εἶναι, καὶ ἀρχὴ τις &c. Cum hoc loco ea Aristotelis verba jungas velim, quae in Metaph. Lib. λ. cap. I. p. 210. inveniuntur; ἐτι εἰ μὴ εἶσαι παρὰ τὰ αἰσθητὰ ἀλλὰ, ἕκ εἶσαι ἀρχὴν, καὶ ταξίς, καὶ γενεσίς, καὶ τὰ κρᾶνία, ἀλλ' αἰετὴς ἀρχῆς ἀρχὴ, ὡσπερ τοῖς θεολογοῖς καὶ τοῖς φυσικοῖς ἀπάσι.



motus neque continuus, neque sempiternus esse posset, si plures illum causae sive naturae impellerent.

Eandem porro unicam motus causam aeternam atque ab omni mortali concretionem segregatam esse pronuntiabat. (ib. c. 9. 15. et Cic. T. Q. II. 27.) Primum propterea, quod illa motus procreatrix sit, motus vero neque initium habuerit, neque etiam finem habiturus sit: alterum vero idcirco statuebat, quod motus principium neque certa quadam et finita partium multitudine, neque etiam infinitis partibus constare possit. Si quis enim divinam naturam ex certo partium numero compositam esse ponat; tum rationem reddi non posse, quomodo concretus ejusmodi Deus per infinitum tempus rerum universitatem movere potuisset. Infinitum vero, sive partium infinitatem complectentem Deum propterea fingi non posse, quod infinitum corpus nullum sit, siquidem illud tantum infinitum appelletur, quod semper partes quasdam extra se habeat, neque unquam expleatur vel consummetur. (vide etiam Met. λ. cap. ζ. p.



204. *) — Postremo Deum semper sui similem atque immutabilem vel impatibilem esse affirmabat. (ib.) Quum enim Deus perfectissimum animal sit **), (p. 203.) neque ad ipsius virtutem atque perfectionem aliquid accedere queat, inde sequi, eum non nisi in pejus mutari posse, quod non impium magis quam absurdum sit. (Met. λ. cap. 9, p. 208. ***).

Haec =

*) Ὅτι μὲν ἔν ἐστι ψῆια τίς αἰδῖος, καὶ ἀκίνητος, καὶ κεχωρισμένη τῶν αἰσθητῶν, φανερόν ἐκ τῶν ἐφημενῶν. δεδεικται δὲ, καὶ ὅτι μεγέθος ἔδεν ἐνδεχέται εἶχει ταύτην τὴν ψῆϊαν, ἀλλὰ ἀμερῆς καὶ ἀδιαιρέτος ἐστὶ. κινεῖ γὰρ τὸν ἀπείρου χρόνον. ἔδεν δ' εἶχει δύναμιν ἀπείρου πεπερασμένου. ἐπεὶ δὲ πᾶν μέγεθος, ἢ ἀπείρου ἢ πεπερασμένου. πεπερασμένου μὲν δια τὸ ἔν ἔν ἔχει μέγεθος. ἀπείρου δὲ ὅτι ὅλως ἔκ ἐστὶν ἔδεν ἀπείρου μεγέθος. ἀλλὰ μὴν καὶ ὅτι ἀπαίδες, καὶ ἀναλλοιώτου.

**) Ἐὶ ἔν ἔτῶς εὐ εἶχει, ὡς ἡμεῖς ποτε, ὁ θεὸς αἰετῶς ἰαυμασόν — εἰ δὲ μαλλον, ἐστὶ ἰαυμασιώτερον. εἶχει δὲ αἰδέ. καὶ ζῶη δὲ γε ὑπάρχει. ἢ γὰρ νῆ ενεργεῖα, ζῶη. ἐκεῖνος δὲ ἢ ενεργεῖα. ενεργεῖα δὲ ἢ κατ' αὐτὴν, ἐκεῖνῆ ζῶη ἀρετῆ καὶ αἰδῖος. φάμεν δὲ τὸν θεὸν εἶναι ζῶον αἰδῖον, ἀρετῶν. ὡς ζῶη καὶ αἰῶν συνεχῆς καὶ αἰδῖος ὑπάρχει τῷ θεῷ.

***) δηλοῦν τοῖνον, ὅτι τὸ θεῖοτατον καὶ τιμιώτατον νοεῖ, καὶ ἔ μεταβαλλεῖ. εἰς ἕτερον γὰρ ἢ μεταβολῆ, καὶ ἢ κινήσεις τίς ἡδὴ τὸ τοῖουτον.



Haecenus itaque ipsius Aristotelis verbis demonstravi, illum Deum unicum omnis motus, ordinis, et pulcritudinis auctorem, nec non aeternum nullisque partibus constantem, penitusque immutabilem sive impatibilem credidisse. Jam vero videamus, quae ipse Deum agere, qualemve eum vitam vivere existimaverit. Tribuebat itaque summo Deo eam vitam, qua ipse nihil beatius, nihil perfectius cogitare poterat. Quum vero Aristoteles summo, quo praeditus erat, acumine intelligeret, omnes vel plurimas saltem virtutes, quas Graeci *ἠθικὰς* sive morales appellabant, quaeque in hominibus maxime laudari solent, in excellentissimam mentem non cadere, neque igitur Deum illis vel exercendis, vel earum quoque conscientia beatum esse posse; idcirco pronuntiavit, summam divinae naturae felicitatem in contemplatione consistere eamque continuo id, quod optimum fit, se ipsam nempe suasque virtutes cogitare. (l. f. c. Met. p. 208 *). Neque tamen Deum in perpetua meditatione ita defixum esse opinabatur,

*) αὐτοῦ ἀρετὰ νοεῖ, εἰπερ εἰς τὸ κρείττον.



tur, ut nihil illum agere atque in suis tantum virtutibus recolligendis cum inerti quadam voluptate intentum esse putaret. Quin potius statuebat; Deum mundi molem continuo motu versare, neque vel minimo temporis puncto ab opere suo faceffere. (Phyf. Aufc. VIII. cap. ult.) Quodfi enim omnis motus auctor unquam rerum universitatem vi sua impellere desineret; tum ipsum ab immutabili sua natura degeneraturum, sui que dissimilem futurum esse, quod cuivis prorsus incredibile videri debeat.

Quum igitur Aristoteles Deum nullo tempore intermittente mundum movere, atque potestate sua omnia efficere atque conservare dixerit; non video, quomodo diligenti unquam Aristotelis lectori in mentem venire potuerit, eum providentiam divinam vel sustulisse, vel de ea saltem dubitasse. Ego contra statuerem, Aristotelem, licet nusquam suam de re gravissima opinionem expressis verbis significasset, providentiam divinam negare non potuisse, nisi praecipua sua decreta ipse evertere voluisset. Quomodo enim quaeso cogitari potest, eum virum, qui Deum motus principium esse,



esse, et motu omnia fieri affirmarat, eundem inquam virum simul pronuntiasse, Deum nullam neque humanarum neque coelestium rerum curam agere, verum potius mundum sibi ipsi, vel fortunae, vel necessitati denique agendum relinquere? In turpem ejusmodi et apertam repugnantiam summi ingenii virum incidisse, omnem fidem excederet, nisi ipsius etiam confessione omnis dubitatio tolleretur. Jam vero praeter allatum locum, quo Deum omnia semper movere demonstravit, in reliquis ipsius scriptis, quorum auctoritatem nemo harum rerum intelligens unquam in suspicionem adduxit, multa alia testimonia inveniuntur, quae quemvis fateri cogunt, Aristotelem Deum tam mundi rectorem quam effectorem credidisse. Ne utar quidem deperditi libri fragmento, quod supra e Cicerone adduxi, verum ea tantum colligam, quae in capite ultimo duodecimi των μετα τα φυσικα libri hac de re inveniuntur. Ait igitur Aristoteles, (p. 209. *) omnia, quaecun-

que

*) Επισκεπτεόν δε και ποτερας εχει η τε ολη φυσις το αυτην και το κρισον. πατερων κειω- ρισ-



que in mundo sint atque fiant, ad unum aliquem finem dirigi, singulis vero rebus pro diversa naturae earum praestantia atque virtutibus diversas etiam partes sive dissimilia loca assignata esse. Antiquiores porro Philosophos reprehendit, quod naturam quandam praestantissimae menti contrariam posuerint, ad quam defendendam nulla probabili ratione impulsivi sive coacti fuerint. Non semel vero, sed saepius ipse profitetur, nihil esse, nec cogitari posse, quod contra Deum pugnet, vel ipsius in administrando mundo potestati et sapientiae obsistere queat. Tandem ita concludit: multos quidem diversas rerum omnium efficientes causas finxisse, se vero firmiter sibi persuasum habere, hanc universam civitatem non prave gubernari posse, neque igitur plures imperantes, sed unum tantum omni-

una

ρισμενον τι, και αυτο καθ'αυτο, η την ταξιν, η αμφοτερας, ωσπερ στρατευμα. και γαρ εν τη ταξει το ευ. και ο στρατηγος, και μαλλον ουτος. — ταυτα δε συντετακται πως, αλλ'εχθ' αμαιως — προς μεν γαρ εν ακαυτα συντετακται. — και τοις μεν αλλοις αναγκη τη σοφια, και τη τιμιωτατη επισημη ειναι τι τετραντιον, ημιν δ'ε. ε γαρ εσιν εναντιον τω πρωτω εδεν. παντα γαρ τετραντια υλην εχει, και δυναμει ταυτα εσι. ετις.



um rerum dominum existere *). His consentanea sunt, quae Aristoteles secundo de Coelo libro (c. I. **) alibique adversus Platonem disputavit: nulla nimirum potentia Deo adversante opus esse, qua errantes stellae, in orbem ceterorum siderum cursui contrarium torqueantur, rerumque universitatem facile animo cedere, qui omnia impellat atque complectatur.

Quum igitur haec opinio: mundum divina providentia gubernari: cum tota Aristotelis disciplina tam arcte copulata sit, ut non sine illius ruina inde separari queat, et evidentissima ipsius testimonia ostendant, illum hujus doctrinae defensorem fuisse, aequi certe lectoris erat, hunc virum non statim impietatis postulare, si forsan alicubi eandem sententiam non ea, qua par erat, fiducia enuntiasse videretur. At vero

*) τα δε οντα, ε βηλεται πολυτενεσθαι κακως. εκ αγαθων πολυκοισαγη, εις κοιρανους.

**) Αλλα μην ετε υπο ψυχης ευλογον αναγκασσης μενειν αιδιον. εδε γαρ της ψυχης οιον τ'ειναι τη τοιαυτην ζωνην πλυτον και μακαριαν.



verò exstiterunt docti viri, quos unicus locus, si rectè illum interpreteris, minime suspectus (Ethic. X. 8. *) ita offendit, ut summis illum clamoribus tanquam divinae providentiae hostem accusaverint. Unica scilicet vocula, quae fluctuantis et dubitantis animi signum esse solet, tantum ipsis flagitium alere visa est, ut universum propterea effatum a vero Dei cultore proficisci potuisse negarent. Hoc vero tam iniquum iudicium nimis calidi Aristotelis reprehenses nunquam de tanto viro tulissent, si totos ipsius libros perlegere, quam singula dicta et verba carpere maluissent. Nullum enim diligentem Aristotelis lectorem esse existimo, qui non observaverit, hoc ipsi veluti proprium et solenne fuisse, ut de rebus gravissimis, de quibus saepius sine ulla dubitatione statuerat, alibi nec raro iisdem locis verbis *δοκει* et *ενδεχεται* uteretur, tanquam pristinae ipsum assensionis poeniteret, vel ipse sententiam subito

mu

*) *Ει γὰρ τις επιμελεια των ανθρωπινων υπο θεων γινεται, ωσπερ δοκει etc.*



mutasset. Vix itaque opus est adjicere, eandem dicendi formulam hoc quoque loco non stricte, uti in reliquis scriptoribus, sumendam, sed mollius ex Aristotelis more interpretandam esse.

Post explicatam Aristotelis de divina natura sententiam nemini amplius difficile futurum esse arbitror, cetera dijudicare, quae ipsi antiqua et recentiori aetate vel justa causa vel accusatorie etiam objecta sunt. Quamvis vero prorsus incredibile et monstri quasi simile videri queat, ullum unquam tanta vel ignorantia, vel malevolentia fuisse, ut Aristotelem Deum re fusulisse, verbis vero reliquisse sibi persuaderet; fuerunt tamen non pauci, qui hunc virum tantum tamque perniciosi erroris insimularunt, et hanc suam opinionem tam speciosis et probabilibus argumentis firmarunt, ut quivis, qui non universam Aristotelis philosophiam animo comprehenderit, non possit non iis commoveri. Primum nempe quaerunt, quomodo Aristoteles Deum omnium rerum effectorem appellare poterit, quum omnia e duobus tantum rerum principiis, materia scilicet et forma, composuerit,



atque in hac causarum enumeratione nullam Dei mentionem fecerit? Urgent porro, eundem plurima natura quadam, sensu ac ratione carente, fieri statuisse, eamque pro coeca quadam vi habuisse, quae in quaque re internorum motuum atque mutationum principium, et totius denique status cujusvis rei naturae convenientis causa sit. Postremo illud reprehendunt, Aristotelem non solum naturam, tanquam vim aliquam motricem, verum etiam casum atque fortunam, nova et fictitia numina induxisse, quorum potestate tam rebus, vita et sensu privatis, quam homini et ceteris animantium generibus multa eveniant.

Haec acerbissimae accusationis capita nunquam quidem eo me perduxerunt, ut Aristotelem divinae naturae inimicum fuisse crederem: non nego tamen, eadem aliquando tantum apud me valuisse, ut Aristotelem sibi ipsum contradixisse arbitrarer. Postquam vero non singulos locos, in ipsius de rerum natura libris pertractatos, prospicere, sed universum rerum ordinem et seriem penitus inspicere coepi, statim



observavi, ea, quae pugnare videbantur, optime inter se consentire, quaeque summam ipsi invidiam concitaverant, minime suspecta esse. Primo nempe scholarum physicarum libro nihil aliud sibi propositum habuit, quam ut rerum principia, e quibus omnia consistunt, fusius explicaret, atque antiquiorum hac de re sententias refelleret. Eiusmodi rerum principia materia ipsi atque forma videbantur, quae voces igitur contra Aristotelis mentem ita detortae sunt, tanquam illis efficientes causas significare voluisset. Ab hac disputatione ad illam quaestionem progreditur: undenam rerum, quae nascantur, formae existant, quove eadem, si corpora solvantur, recidant, et ubi denique mutationum, quae in quaque re contingant, causa quaerenda sit? Ad hanc quaestionem suo more, id est, subobscurè respondet: cuivis rei materiam quandam subjectam, sive certam potius vim insitam esse, quae omnium ipsius mutationum fons atque principium sit, atque naturae vocabulo commodè designetur. Hanc igitur naturam formarum quasi matrem et genitricem; formas vero naturae effectus esse putavit.



tavit. Sicuti vero homines artem non solum virtutem sive potestatem illam, qua aliquid efficiatur, sed illud etiam, quod arte effectum sit, appellare soleant; ita quoque naturam non solum formarum procreatricem, verum etiam ipsas formas significare posse. Quae cum ita definitisset; diversa causarum genera atque uniuscujusque causae vim accuratius explicare aggreditur, de quibus differens haec inprimis dogmata probare studet: omnia, quaecunque vel consilio gerantur, vel cujusque rei naturae convenienter contingant, natura evenire videri: quaecunque vero rebus, vita, sensu et ratione praeditis, vel praeter expectationem vel praeter naturam accidant, ea fortunae tribuenda esse: quaecunque denique simili modo in rebus inanimis fiant, ea casui assignari oportere. Hominum itaque et animantium nec non stirpium ortus, progressus, connubia et propagationem naturae adscribit, quippe quae omnia certis et ratis legibus efficiantur, atque ad destinatum aliquem finem spectent: quidquid vero in his rerum generibus vel inopinato, vel eorum quoque naturae repugnanter animadvertatur, id



omne sive ad fortunam sive ad casum referendum esse censet. Postquam vero de his rebus sententiam suam protulisset, ad generaliores corporum qualitates transitum facit, atque hoc imprimis defendere conatur, motum sine causa quadam effectrice et conservatrice neque existere, neque durare posse. — Ex brevi hac totius operis expositione apparet, singulas ejus partes sibi invicem respondere, atque ultima cum primis tenuibus quidem, nec fictis tamen vinculis ita conjuncta esse, ut ea separari nec possint nec debeant. Porro non difficile est animadvertere, Aristotelem nusquam consistere, sed una semper via et defixis in ultimum quendam scopum oculis procedere, donec ad argumentationem suam de natura quadam omnia movente ejusque virtutibus perveniret. Quaecunque igitur de formis, tanquam rerum principiis, deque natura formarum parente attulit, totidem quasi gradus sunt, quibus ad praestantissimam quandam mentem, omnium motuum atque mutationum efficientem causam, enisus est, proptereaque amplius dubitari non posse existimo, Aristotelem naturam quidem pro formarum effectrice, mentem vero di-



divinam pro ipsius naturae procreatrice habuisse.

Quae cum ita sint; vix opus esse videtur adicere, non totam Aristotelis culpam fuisse, si multi ejus interpretes formas atque naturam efficientes quasdam causas a Deo diversas, neque ab ipso profectas esse existimarent. Neque tamen Aristotelem ita excusabo, tanquam nihil prorsus ab ipso peccatum esset. Ipse enim non possum non universam ipsius scribendi rationem vehementer reprehendere, quippe qua neque transitiones, neque rerum, quas pertractabat, ordinem atque consequentiam distincte satis notavit. Hoc igitur confuso et perturbato disputandi genere factum est, ut multi illum non via et ratione progredi, sed res inter se prorsus disjunctas et repugnantes effundere existimarent; quae judicia sine dubio effugisset, si claris verbis docere voluisset, quomodo formas se ad naturam, naturam vero ad divinam mentem habere ipse opinetur.



Aliud vero orationis vitium, verborum nempe obscuritas et ambiguitas, falsae huic opinioni occasionem dedit: Aristotelem fortunae et casui, tanquam naturae adversariis, non parvas possessiones, nec contemnendum imperium tradidisse. Verum quidem est, Aristotelem saepius de fortuna et casu ita locutum esse, ut non callidi tantum obtrectatores ipsius imprudentia abuti, verum etiam bene de illo existimantes interpretes pluribus ipsius locis in fraudem induci possent. (vide in p. Aufsc. Phys. II. 5. p. 33. et c. 6. in fine *). Quicumque vero his similibusve effatis laesi adversus illum exarserunt, illi primum animadvertant velim, Aristotelem alibi se ipsum correxisse, atque fortunae omnem, quam ipsi tribuisse videbatur, potestatem et efficientiam abjudicasse **). (II. 5. p. 34.)

Deinde

*) Αλλ' επειδη εστι τινα α γιγνεται παρα ταυτα, και παντες φασιν ειναι απο τυχης, φανερον οτι εστι τι η τυχη και το αυτοματον. — υπερον αρα το αυτοματον και η τυχη νε και φυσικως. ωφε ει οτι βασις τε εβανη αιτιον το αυτοματον, αναγκη προτερον νε αιτιον και φυσικη ειναι και αλλων πολλων, και τεδε τε παντος.

**) και εστιν αιτιον ως συμβεβηκος, η τυχη. ως δε απλως, εδπος.



Deinde hoc secum reputent, nemini minus licuisse, quam Aristoteli, casum atque fortunam vel pro universi mundi, vel aliquarum saltem ejus partium dominis habere. Quoties enim ipse unius tantum divinae mentis vi atque sapientia omnia moveri et administrari dixit? quoties porro professus est, nihil esse, quod ipsius potentiae resistere, ejusque consilia eludere atque pervertere possit? Nihil itaque incredibilius est, quam ipsum Aristotelem par quodam causarum, sensu ac ratione carentium, nec non Deo inimicarum, summo numini opponere voluisse. Multo contra verisimilius videtur, eum casus atque fortunae voces eodem sensu usurpasse, quo Plato illas toleraverat, iisque res omnes designasse, quae praeter hominum expectationem, licet naturalibus causis et divino consilio, eveniant.

Post illos vero Aristotelis adversarios vel parum felices conjectores, qui virum hunc summae impietatis falso accusarunt, aliud hominum genus adversus illum insurrexit, opinantium, eundem Deum invictae necessitatis vin-



culis supremo orbi alligatum credidisse. Horum vero impetus sola hac responsione propulsari possunt: in universa ipsius philosophia nullum decretum, in omnibus porro veris illius libris nullum locum existere, e quo vel maxime temeraria conjectura tale opinionis monstrum exprimi possit. Quin potius ex omnibus, quae hactenus disputavi, apparet, totam ipsius de Deo doctrinam ejusmodi sententiae repugnare. Quomodo enim Aristoteles, si tale aliquid statuisset, Deum majori alicui potestati subjectum et obedientem unicum motus causam appellare potuisset? Quomodo porro eundem Deum, necessitatis compedibus ad aliquam coeli partem adstrictum, toties ab omni mortali concretione liberare et sejungere sustinisset? Quae tandem ista impudentia fuisset, alios philosophos propterea reprehendere, quod necessitati tantum tribuissent, si ipse *αναγκη* divinae naturae tanquam dominam imposuisset? Vix igitur intelligere possum, quomodo vel negligentes Aristotelis lectores manifestum adeo flagitium in illius disciplinam importare potuerint.



Multo sane majore veritatis specis illi Aristotelem coarguerunt, quibus in defendendo primario suo de vi quadam omnia movente decreto parum constans fuisse visus est. Eodem enim loco, quo rerum universitatem uno perpetuo motu, uniusque divinae mentis potestate versari summa fiducia pronuntiaverat, alias praeterea divinas naturas, easque aeternas, immotas, nullisque partibus constantes induxit, (Met. λ. cap. 7. p. 204. 205. *) quibus sidera perpetuo volvantur. Et harum quidem tantum numerum esse ait, quanta siderum eorumve orbium multitudo existat, eosque divine locutos esse affirmat, qui naturas hasce in Deorum numero collocaverint. Ne verbum vero quidem profert, e quo intelligi possit, utrum hanc

*) Δεδεικται δε εν τοις φυσικοις περι τῶτων, αναγκη και τῶτων ἑκαστην των φορων ὑπ' ακινητης τε κινησθαι καθ' αυτο, και αιδις ἄστας. ἤτε γαρ των αστων φυσικη αιδιος ἄστας τις ἄστας. και το κινηθ, αιδιου, και προτερον τε κινημενθ. και το προτερον ἄστας, ἄστας αναγκαιου ειναι. φανερον τοιουτου, οτι τσαστας ἄστας αναγκαιου ειναι, την τε φυσικη αιδις και ακινητης καθ' αυτας, και ανεν μεγεθους, δια την ειρημενην αιτιασ προτερον.



hanc Deorum cohortem a mundi parente et re-
 ctore genitam fuisse, an vero illam propria vir-
 tute suaeque naturae praestantia ab infinito tem-
 pore durasse existimaverit. Ipse igitur sine du-
 bio nimio brevitatis studio, vel inconsiderata
 quoque dicendi ratione inimicis suis justam re-
 prehensionum materiam praebuit, nec defuerunt
 maligni ejus interpretes, qui felicem hanc
 illum exagitandi occasionem arripientes, nescio
 quot Deos aequali potestate, omnes tamen excel-
 siori dominae, Necessitati, obtemperantes ab
 Aristotele invecos esse criminati sunt. Equi-
 dem fateor, Aristotelem ejusmodi verba effu-
 tiisse, ut ipse secum pugnare, et illum plurimum
 dominatum, quem saepius repudiaverat, ipse
 iterum constituere videatur: neque hoc etiam
 inficiari ausim, illum diversis libris et tempo-
 ribus ea defendisse, quae propius inspecta atque
 inter se collata se invicem tollunt: hoc vero
 constanter nego, talem virum non solum eodem
 commentario, sed eodem prorsus loco, nullis-
 que aliis opinionibus interjectis tam manifeste
 sibi ipsum contradixisse, ut initio unum quen-
 dam summum Deum, omnia uno eoque continuo



motu agitatam, statim vero tanquam mente alienatum plures alios Deos pari virtute et majestate poneret. Ejusmodi insania mea quidem opinione tam incredibilis tamque portentosa est, ut ne quintae quidem classis scriptorem, multo minus Aristotelem in illam incidere potuisse videri possit. Quum praeterea justae interpretandi, leges postulent, ut nemo sine gravissima causa contra se ipsum testimonium dicere cogatur; maxime probabilem et sponte se offerentem conjecturam sequi debemus, Aristotelem nimirum singulis quidem astris divinas quasdam naturas praeposuisse, easque aeternitate aliisque divinis virtutibus ornasse, neque tamen illum haec numina eodem dignitatis loco habuisse, quo summum Deum collocaverat, verum illa potius hujus filios atque ministros existimasse. Quibus vero hoc meum judicium de Deorum, sideribus imperantium, ortu propterea parum verum videbitur, quod Aristoteles eos aeternos appellaverit; illi quaeso hoc sibi in memoriam revocent, Aristotelem mundum etiam ab omni aeternitate a Deo motum et conditum esse statuisse,



Multum vero abest, ut Aristoteles pro huius mundi aeternitate tot rationes attulerit, (de Coelo. I. 13. Cic. Tus. Quaest. IV. 38.) quot ipse ob hanc opinionem conviciis laceratus est. Plurimi enim in hoc decreto, quod Aristoteles omnium primus inter Graecos professus est, perniciosissimum omnique pietati inimicissimum errorem latere opinati sunt. Ego contra persuasum mihi habeo, ad hanc opinionem ipsius inventorem optima fide et consilio sese applicuisse, quod divina majestate dignius iudicaret, illam ab infinito tempore summa sua potentia semel in efficiendo, tum vero in administrando mundo usam esse, quam eandem per longam aetatem quasi dormitasse atque nullo ipsius virtutibus conveniente opere atque negotio occupatum fuisse. Valde etiam probabile est, Aristotelem illas objectiones evitare voluisse, quibus Epicurei Platonicos atque Stoicos, contrariae opinionis defensores, premebant, et quibus recentiori quoque aevo multos graves viros commotos esse inter omnes constat. Dum vero has difficultates effugere vellet, in alias non leviores incidit, inter quas haec maxime inexsuperabilis



lis est: quod ne cogitatione quidem comprehendi posse videtur, eandem rerum universitatem ab omni aeternitate existisse, et nihilo tamen minus a Deo primum motam et generatam fuisse. Quod vero Aristoteles mundum ab infinito tempore durasse existimaverit, eo magis mirandum est, quum infinitatem in spatio et corpore locum habere, vel infinitum spatium et corpus existere posse plane negaverit.

Nusquam vero Aristotelem gravius hallucinatum suaeque ipsius disciplinae magis oblitum esse arbitror, quam illis locis, quibus de quinta quadam, atque a ceteris rerum elementis plane diversa natura verba fecit. (vide Arist. de Coelo I. 2. 3. de Anima III. 6. II. 5. Cic. Ac. Quaest. I. 7. 10. Tuscul. Quaest. I. 10. 17. 27. Atticum apud Euf. in Praep. Evang. XV. 7.). In hoc quinto corpore explicando et definiendo adeo ipse nutavit, ut illud ne eodem quidem vocabulo semper designaverit. Primo enim de coelo libro (c. 3.) antiquioribus sese adjungit, quos quintam hanc naturam Aethera appellasse autumat. Alibi vero ad eandem significandam calidi



calidi vox ipsi magis placet, quod tamen calidum a communi igne sollicitè diligenterque distinguere debet. Simili inconstantia hunc sive Aethera sive calidum modo cum luce comparat, modo illum spiritum quendam sive animum esse ait, in hominis femine latentem, (de Anim. III. 6. de Gen. Anim. II. 3.) nisi ultima haec verba ad aliam quamdam animalem vim referri debent. Quintam vero hanc naturam adeo magnificis verbis extollit, ut ne summum quidem Deum magis praedicare potuisse videatur. Hanc enim solam affirmat ceteris naturis, e quibus omnia conflata sint, longe diviniorum atque praestantiorum esse, quippe quae prae omnibus aliis ea virtute instructa sit, ut sponte et insita quadam vi in orbem moveatur. Eandem porro tanquam ingenitam et immortalem laudat, quod nihil sit, e quo illa vel gigni, vel in quod ea resolvi queat. Hinc vero efficit, illam neque imminui, neque etiam augeri posse, proptereaque nullam in ipsam mutationem sive passionem cadere. Tandem adjicit, nihil illam neque mixtum, neque concretum habere, et divinum itaque a ceteris principiis toto genere diver-

ver-



versum corpus esse. (de Coel. I. 2. 3. *). Ob
has tantas virtutes praeter sidera hominum quo-
que mentes, imprimis nobilissima earum
pars vel potestas ex quinta hac natura desumptae
esse ipsi videbantur.

Hae Aristotelis de quinto corpore enuntia-
tiones adeo non solum cum rerum natura, verum
etiam cum tota ipsius disciplina pugnant, ut affirma-
re non dubitem, ab acerbissimo aliquo adversario
vix aliud opinionis monstrum ipsi affingi potu-
isse, quo ipsius philosophia magis labefactaretur
et convelleretur. Non accusatorie agam
cum summo et sagaci alioquin viro. Tacebo
igitur, illum omnibus iis libris, quibus de re-
rum elementis maxima diligentia disputavit, hu-
jus quintae naturae ne verbo quidem meminisse.
Ne hoc quidem ipsi objiciam, illum divinae
hu-

*) Εκ τε δη τῆτων φανερον, ὅτι πεφυκε τις βσια σω-
ματος αλλη παρα τας ενταυθα συσσεις δειο-
τερα και προτερα τῆτων παντων. — Διοτι μεν
εν αιδιον και ὄτε αυξῆσιν εχον, ὄτε φθισιν,
αλλ' αληρατον και αναλλοιωτον και απαιδες εἰς
το πρωτον των σωματος εἰς.



hujus naturae defensores frustra adversus Platonis animum per rerum universitatem intentum pugnasse. Hoc vero praetermittere non possum, ipsum hoc unico figmento primaria sua decreta infirmasse et corrupisse. Quum enim poneret, quintum corpus sponte, suoque motu agitari: duas alias gravissimas, et ratas quasi sententias tollebat: Deum nempe omnis motus auctorem esse, continuumque et perpetuum motum non nisi ab individua et nullis partibus constante natura proficisci et conservari posse. Quum porro quintae naturae ab infinito tempore vim quandam se ipsam moventem insitam fuisse diceret, quare non similem perpetui motus fontem aliis quoque mundi partibus tribuebat? Quid praeterea divinis siderum praefectis operaret, quum ipse coelestia corpora ex ejusmodi materia aedificaret, cui circularis motus principium semper inhaeserit? Quomodo denique eandem naturam impatibilem et immutabilem nominare audebat, e qua hominum animos decerpi ipse aperte fatebatur?



Licet vero hae repugnantiae adeo obviae sint, ut cuivis in oculos incurrere debuisset videntur, suspicor tamen, Aristotelem illas non vidisse. Quodsi enim foedas has opinionum suarum pugnas ipse animadvertisset; vix dubitari potest, illum omnem operam daturum fuisse, ut eas sedaret, et discordantes sententias inter se conciliaret. Ceterum ratio facile reddi potest, quare Aristoteles decretum illud, ipsius philosophiae adeo funestum, invenerit. Nisi enim divinam ejusmodi naturam, qualem ipse quintum suum corpus descripsit, finxisset, nunquam profecto humanorum animorum ortus atque immortalitatem defendere potuisset. Neque enim ipsi licebat, hominum mentes ex summi Dei substantia derivare, quod hanc individuum et omnis corporis expertem esse affirmaret. Multo minus illas ex ceteris rerum elementis componere poterat, quippe quorum nulli cogitationis vim, et rationis excellentiam inesse saepe pronuntiaverat. Nihil aliud igitur restabat, quam ut Aristoteles divinam quandam, eamque corpoream naturam poneret, e qua sidera et hominum animi decerpti essent.



Similis fere necessitas ipsum ad aliud
 figmentum superiori non valde dispar adegit.
 Praeter quintam nempe aliam vim quandam
 animalem statuit, quae per universum mundum
 diffusa, et in stirpibus ceterisque animantium
 generibus omnis vitae et sensus principium fit.
 (de Gener. anim. II. 3.) Illam vero animalem
 sive spirabilem naturam, cujus in citato loco
 mentionem facit, non poterat non a quinto suo
 corpore distinguere, quod omnia, quaecunque ex
 illa hausta esse dicebat, vitam nimirum, et sen-
 sus atque memoriam, simul cum corpore deleri,
 et solum tantum agentem intellectum immorta-
 lem esse opinabatur, quippe qui ex longe divi-
 niori et augustiori natura ortus est.

Licet vero concedam, Aristotelem multis
 modis in sua de Deo doctrina errasse: non pos-
 sum tamen non illius causam adversus Vellejum
 (apud Ciceronem I. de Nat. Deor. c. 13.) susci-
 pere, qui plura ipsi affinxit, de quibus illum
 nunquam cogitasse certum est, quaeque clarif-
 simo Platonis discipulo veterum nemo praeter
 indoctum hunc Epicureum objecit. Falsum est,
 quod



quod Vellejus nugatur, Aristotelem mundo divinitatem tribuisse, praetereaque coeli quendam ardorem pro Deo habuisse: harum enim opinionum nihil ne simile quidem in omnibus Aristotelis scriptis occurrit. Licet vero omnis fere antiquae philosophiae corruptor ad tertium Aristotelis de philosophia librum provocet: nullus tamen dubito affirmare, eum Aristotelis efata, sicuti multa alia, vel non intellexisse, vel consulto etiam depravasse.

De patriis Diis atque religionibus Aristoteles multo rarius et cautius, quam Plato, locutus est. Idem quoque longe moderatius eos vituperavit, qui omnium primi divinis naturis hominum aliorumque animantium figuras circumdederunt. Quia antiquos propterea laudabat, quod Deos esse docuissent, hancque salutarem persuasionem inter florentium quondam, postea vero exstinctarum artium atque litterarum reliquias referebat, quae tamen insequentibus aetatibus fabulis vehementer immutata sit *).

Ff 3

*) Παραδεδοται δε ὑπο των αρχαιων και παλαιων, εἰ μὴτε σχηματι καταλειμμενα τοις ὑστερον, οτι



ὅτι θεοὶ τε εἰσὶν ἄτοιοι (οἱ ἕραιοι), καὶ περι-
 ἔχει το θεῖον τὴν ὅλην φύσιν. τὰ δὲ λοιπὰ
 μυθικῶς ἤδη προσήχθαι πρὸς τὴν παιδῶτων
 πολλῶν, καὶ πρὸς τὴν εἰς τὰς νόμους καὶ τὸ συμ-
 φερόν χρῆσιν. ἀνθρώποισι τε γὰρ τέττις,
 καὶ τῶν ἄλλων ζῶων ὁμοίως τισὶ λεγῶσι, καὶ τέ-
 τοις ἕτερα ἀκολούθα, καὶ παραπλήσια τοῖς
 ἐρημενοῖς. ἂν εἰ τις χωρὶς αὐτο λαβεῖ μὴ-
 νον τὸ πρῶτον, ὅτι θεὸς ὄντο τὰς πρῶτας
 γῆρας εἶναι, θεῶς ἀν εἴησθαι νομίσειε, καὶ
 κατὰ τὸ εἶκος πολλὰκις ἐξημενῆς εἰς τὸ δυνατόν
 ἔκαστης καὶ τεχνῆς καὶ φιλοσοφίας, καὶ πάλιν
 φθιρομένων, καὶ ταύτας τὰς δοξὰς ἐκείνων,
 οἷον λειψάνα περιφωτισθῆαι μεχρὶ τῆ νυν. Met.
 Lib. λ. cap. η. p. 207. Non piget in fine
 hujus sectionis breviter rationes adducere,
 quare in enarrandis Aristotelis de divina natura
 decretis nunquam libro de Mundo, Aristoteli
 adscripto, usus sim. Non urgebo, quod multi
 alii ad impugnandam hujus commentarii au-
 thoritatem protrulerunt: totum nempe scri-
 bendi genus, quod ipsius auctor usurpavit, ab
 Aristotelis sermone prorsus diversum esse. Ea
 potius loca et dicta ex hoc libello colligam,
 quae Aristotelis opinionibus aperte repugnant,
 et neminem igitur dubitare sinunt, ea ab hoc
 philosopho profecta non esse. Scriptor igitur
 alias non ineptus primum eo se prodit, quod
 Aethera omnia coelestia corpora continere, et
 motuum quoque ordines servare dicat: quo
 effato vix ullum aliud ab Aristotelis philoso-
 phia magis alienum effingi potest. (c. 2. ὁ δὲ
 αἰθῆρ, τὰ τε θεῖα ἐμπεριεχει σώματα, καὶ τὴν
 τῆς κινήσεως τάξιν.) Ejusdem generis sunt,
 quae de vi quadam divina per omnem mun-
 dum pertinente profert, quaeque Pythagoreo-
 rum magis et Platoniorum, quam Aristotelis
 placitis consentanea sunt (c. II et 12. τὸν ὅλον
 ἕραιον δ' ἐκοσμησε μία διαπαντῶν διχῆσθα
 δύναμις — κατ' ὅσον ἐπιπαν δ' ἐκνευσθῆαι πε-
 φύκε



Φυξε το Θειον. etc.) Evidentiſſima vero falſae et recentioris hujus libri originis indicia in ultimo capite deprehenduntur, ubi auctor Stoicorum more ſuam de Deo ſententiam cum publicis vulgi religionibus conciliare, atque diverſa Jovis cognomina ita explicare conatur, ut ſapienter et pie inventa videantur. Tota haec ratio a Zenone primum inventa eſt, neque ullum ejus veſtigium in omnibus veris Ariſtotelis ſcriptis deprehenditur. (εις δε ων, πολυωνυμος εις, κατονομαζομενος τοις παθεσι πασιν, ατερ αυτος νεοχμει. — κρονος δε και χρονος λεγεται, διηκων εξ αιωνος ατερμονος εις ετερον αιωνα — οίμαι δε και την αναγκην εξ αλλο τι λεγεσθαι, πλην τετραν οιονει ανινητων θσιαν οντα. ειραρμενην δε, δια το ειρειν τε και χαρειν ανηλυτως. πετραμενην δε, δια το πετρατωσθαι παντα, και μηδεν εν τοις θσιν απειρον ειναι.)

Ad Ariſtotelis auditores et ſucceſſores quod attinet, plurimi in doctōris ſui doctrina permaniſſe videntur, uno Stratone Lampſaceno excepto, quem ſine ulla dubitatione inter Atheos referendum eſſe cenſeo. Hic enim ad fabricandum mundum Dei opera ſe uti negavit, atque omnia naturae cujuſdam, ſenſu ac ratione carentis potentia, ſive naturalibus motibus et ponderibus gigni, minui, atque augeri opinatus eſt. (Cic. Acad. Quaeſt. IV. 38 de Nat. Deor. I. 13.)



SECTIO OCTAVA.

Quae Stoicorum de divina natura opiniones comprehendit.

Inter omnes sectas, quarum conditores atque de Deo opiniones haecenus recensui, nullam aliam fuisse existimo, quae vel discipulorum multitudine, vel verborum et rerum a communi vita abhorrentium novitate et admirabilitate, vel praeceptorum gravitate et sanctitate, vel laudabili denique legum et religionum publicarum tuendarum studio tantam famam consequuta sit, quantam Stoicorum familia adeptam est, quam non longe post Aristotelis mortem Zeno Cittio oriundus Athenis condidit, Cleanthes vero atque Chrysippus, ipsius successores, propagarunt, et amplificarunt. Nullam certe aliam inter Graecorum scholas extitisse arbitror, quae tot summorum virorum animos ad omne virtutum

tum



rum et officiorum genus, ingenia vero ad gravissima munera atque negotia, ad gubernandas civitates, regendos exercitus, legesque praeclaras scribendas formaverit atque erudiverit. Hujus igitur sectae principes, quum in omnium, quos Graecia ad illorum usque tempora tulerat, philosophorum doctrinas tanquam in hereditarias possessiones succederent; fieri aliter non poterat, quam ut optima quaevis e superiorum libris seligendo, eaque suis et propriis inventis augendo, multa plenius et melius exponerent, quam ab eorum antecessoribus factum erat. Neque tamen Stoici in constituenda et tradenda disciplina sua ita versati sunt, ut nihil ipsis jure objici posset. Quin potius fatendum est, illos non paucos Philosophiae locos turpiter reliquisse, quos antiquiores, inprimis Academici cum maxima utilitate tractaverant et occupaverant. Neque hoc etiam negari posse puto, eosdem alia retinuisse et amplificasse, quae aeterna oblivione sepeliri merebantur, et plurima denique praepostere et sine ulla probabili causa innovasse.



Non lubet hoc loco disertas quidem, sed supervacaneas doctorum virorum querelas repetere, qui omnia vetustissimorum Stoicorum monumenta, paucis tantum reliquiis exceptis, interiisse deplorarunt. Satius atque utilius esse censeo, in juvenum potissimum gratiam, quorum nondum firmum satis et stabile iudicium est, breviter praemonere, non omnium Stoicorum, quorum scripta ad nos pervenerunt, eandem dignitatem et auctoritatem esse. Inter hos enim, nisi omnia me fallunt, Epictetus plurimum eminet, vir saeculo suo excelsior, cuius tam breviter dicta sive ratae sententiae, quam uberiores Scholae ab Arriano litteris mandatae genuinam antiquiorum Stoicorum doctrinam summa fide exhibere mihi videntur. Huic maximo Zenonis disciplinae alumno neque ingenio, neque animo inferior fuit Marcus Aurelius, sanctissimus Romanorum imperator. Idem tamen vel Platonis vel suas etiam non minus praeclaras cogitationes ita secutus est, ut a dura Stoicorum doctrina, quam unam maxime adamabat, paululum interdum recesserit. Hos duumviros longo intervallo sequitur Seneca, quem non solum a Stoicis,



cis, inter quos nomen suum professus erat, verum etiam a se ipso saepissime descivisse reperio. Quoties enim declamandi furore, suique ingenii, quo nimis abundabat, ostentandi studio corripitur; adeo ultra praescriptos disciplinae suae fines evagatur, ut Stoicum in ipso agnoscere difficile sit. Recte igitur de hoc viro judicaret, quisquis illum omnium quidem Stoicorum disertissimum, simul vero levissimum et inconstantissimum esse diceret. Valde vero incertus sum, an auctor libri, qui Phernuti nomen prae se fert, et de natura Deorum inscribitur, inter Stoicos referendus sit. Hic enim scriptor multo saepius nugivendulorum grammaticorum, qui Stoicos nullo iudicio imitati sunt, somnia, quam veterum hujus sectae principum rationem in interpretandis poetarum de Diis fabulis secutus est. Legant quaeſo harum rerum intelligentes viri, quaecunque Phornutus de Aetheris (c. 17) et Veneris ortu, (24 c.) nec non de Hercule (c. 31.) et Acheronte (c. 35.) tradidit, et tunc judicent, annon hic auctor inscius forsitan et invitus vera et genuina Stoicorum dogmata crebro deseruerit.



Praeter integra haec monumenta multae
eaeque ingentes Stoicae philosophiae ruinae in
illorum praesertim virorum scriptis inveniun-
tur, qui universam quondam Stoicorum disci-
plinam convellere omnibus viribus annisi sunt.
Et vere quidem ac sine ulla exaggerationis sus-
picionne dici potest, nos plurima philosophias
Stoicorum capita vel prorsus ignoraturos, vel
saltem non perfecte cognituros fuisse, nisi acer-
rimi illorum adversarii hanc ipsis operam prae-
stitissent, ut Chryssippi imprimis de rebus gra-
vissimis argumentationes, dum evertere illas
conarentur, commentariis suis ad posteritatem
propagarent. Accurata tamen diligentia et suspi-
ciosa cautione opus est, si quis Stoicorum do-
gmata e Ciceronis, Plutarchi, Galeni et Sexti
libris excerpere sibi proposuit. Primum enim
horum virorum judicia ab eorum testimoniis
semper et sollicite distinguenda sunt. Illis enim
quivis diffidere, eaque non nisi post severum,
liberoque animo susceptum examen admittere
debet, quippe quae ab ejusmodi hominibus pro-
fecta sunt, qui vel Stoicis plus justo infensiores
erant, vel in exagitandis et irridendis eorum
placi-



placitis ingenii sui vires experiri volebant. Testimonia vero horum illustrium Stoicae disciplinae adversariorum summam fidem merentur, quoties sese Stoicorum decreta ipsis scriptorum verbis adducere profitentur. In nullo enim eorum tanta vel imprudentia vel malitia cogitari potest, quantam fingi necesse esset, ut nobis persuaderemus, illos nefarium pariter et insanum consilium cepisse, eorum hominum commentarios corrumpendi, quorum plurimos defensores et patronos sua quisque aetate existere ignorare non poterat. — Eorundem vero testimonia non semper sequenda esse existimo, quando non ipsa Stoicorum loca afferunt, sed eorum tantum opiniones suis verbis proponunt. Plutarcho enim saepe accidit, ut vel negligentia ruens, vel nimio quoque adversus Stoicos concepto odio occaecatus, illorum dogmata vel parum recte intelligeret, vel eorundem quoque expositioni infesta et falsa iudicia immisceret. Cicero vero, qui totam Stoicorum doctrinam animo comprehenderat, nihil quidem ejusmodi objici potest, idem tamen simulatus magis quam verus Stoicorum inimicus, non raro hoc sibi disputandi



tandi causa permittit, ut illis locis, quibus Stoicos oppugnandi partes vel ipse susceperat, vel aliis etiam tradiderat, eorum sententias et argumentationes non ea fide explicaret, quae a generoso et magnanimo adversario exspectari poterat. Nemo vero Cicerone verior et fide dignior est, quoties vel ipse sine ullo Stoicos insectandi studio, vel illustribus quoque alicujus Stoici ore sectae hujus placita enarrat, quod illum in Tusculanis suis quaestionibus, in libris de Finibus bonorum et malorum, deque Deorum natura, et Divinatione, postremo in praecclaris suis de Officiis disputationibus fecisse censeo *).

Jam

*) Diogenis atque Stobaei auctoritatem et testimonia non plane quidem secuto, neque tamen dissimulare possunt, viros hosce in excubendis veterum auctorum verbis et opinionibus saepius ita versatos esse, ut ea, quae afferunt, Stoicae disciplinae investigatorem vel nihil vel parum adjuvare queant. Utrique enim in transferendis plurimis scriptorum locis neque eorum, quae praecedebant, neque etiam eorum, quae sequebantur, ullam rationem habuerunt, verum ab universo sermonis corpore paucula membra avulserunt, de quibus sine ceterarum partium cognitione plane judicari non potest. Ambo porro multis locis, ubi ne
faga-



Jam vero expositis, quae praemittenda esse duxi, ad ipsam Stoicorum de divina natura doctrinam accedo, in qua enarranda ita versabor, ut ea, quae ipsis cum antiquioribus communia sunt, leviter tantum perstringam, atque in illis locis diutius immorer, quos tanquam proprios Stoicis assignandos esse invenero. Statuebant itaque cum Platone, (Sext. IX. 75. Diog. VII. 147.) duas esse causas, quarum altera omnia effecerit, altera vero huic se quasi praebuerit. Et hanc quidem cum Platone materiam appellabant, omnibus qualitatibus et ipso motu, quem Plato reliquerat, carentem, totam vero permutabilem et flexibilem, quae facile in quamvis rem transfigurari posset. (Diog. et Sext. II. cc. Cic. de Deor. Nat. II. 33. III. 39.) Non magis vero quam Plato, quem sequebantur, rationes explicabant, quare ejusmodi materiam ab immenso tempore extitisse puta-

sagacissimi quidem interpretes tale aliquid odorati sunt, vel mutilatos vel corruptos esse suspicor. Vix enim credo, ex sola Diogenis indiligentia, qua res diversissimas saepe miscuit, immanem rerum confusionem, et abruptas transitiones, quae in septimo ipsius libroprehenduntur, explicari posse.



rent. Multo contra diligentiores erant in conquirendis argumentis, quibus causam quandam efficientem, sive mentem divinam, omnium rerum fictricem et moderatricem, existere probari poterat. Observabant primum, vim quandam statui necesse esse, quae nudam ac inertem materiam motu et qualitatibus, quibus corpora praedita sint, instruxerit. (IX. 75. Sext.) Deinde cum Socrate ejusque discipulis pronuntiabant, hanc vim motricem et mundi effectricem mente atque ratione praeditam esse oportere, quod nihil, sensu et ratione carens, aliquid generare queat, quod utroque ornatum sit. (II. Cic. de Nat. 6. 8. Sext. IX. 77. 85. 101.) Denique Socratis exemplo Deorum apparitionibus, nec non rerum futurarum praedictionibus et praesensionibus tanquam totidem argumentis utebantur, quibus divinam quandam naturam existere, eamque hominibus consulere demonstraretur. (Sext. IX. 132. Cic. II. 2. 3.)

His rationibus, quas a superioribus acceperant, alias, easque maximam partem praeclaras adjunxerunt, quarum robur in suis cum
Deo-



Deorum inimicis certaminibus in media plerumque acie collocare solebant. Levioribus vero argumentis vel ad laceffendos hostes tanquam velitibus utebantur, vel eadem quoque in ultimum agmen rejiciebant, quasi ipsorum virtutū parum confiderent, eaque non pro victoriæ ducibus, sed fociis tantum haberent. In quo rerum ordine servando magis antiquos Stoicos et Ciceronem, quam Sextum imitabor, et primum igitur infirmiores Stoicorum copias et auxilia instruam, et tum denique invictam eorum phalangem in aciem educam. Ut igitur Deum esse confirmarent; enumerabant initio omnia vel absurda, vel intoleranda, quæ illis statuenda essent, qui contrarium defendere vellent. Monebant nempe, Deorum numine sublato, nullam neque pietatem neque justitiam esse posse, quod illa scientia Deos recte colendi, hæc vero justitia adversus Deos sit. Urgebant porro, evulsa Dei notione et cognitione, nobilissimas alias virtutes, sapientiam atque justitiam, extinctum iri, siquidem sapientia tanquam rerum humanarum ac divinarum firma et stabilis comprehensio explicari debeat, justitia vero Deorum et hominum,



communi ratione inter se conjunctorum; societate nitatur, et inde nata sit. Hanc denique rationis conclusionem ita convertebant, ut dicerent: quum igitur religio, pietas, sapientia, sanctitas et justitia existant, dubitari non posse, esse Deos, ad quos omnes hae virtutes referantur. Non attinet dicere, quam infirma tota haec argumentatio, et ipsorum tantum definitionibus innixa sit; ad quam refellendam non subtiliore ratione opus esse existimo, quam ad alteram eorum collectionem infirmendam, qua Dei cognitionem non opinionis commentum, sed ipsius naturae judicium esse efficere volebant. (II. Cic. de Nat. Deor. 2. *) Arbitrabantur mirum, hanc de Diis persuasionem neque tam stabili-

*) Quid enim est hoc illo evidentius? quod nisi cognitum, comprehensumque animis haberemus, non tam stabilis opinio permaneret, nec confirmaretur diuturnitate temporis, nec una cum saeculis, aetatibusque hominum inveterare potuisset. Etenim videmus, ceteras opiniones fictas atque vanas, diuturnitate extabuisse. Quis enim hippocentaurum fuisse aut chimæram putat? Quæve anus tam excors inveniri potest, quæ illa, quæ quondam credebantur apud inferos portenta, extimescat? Opinionum enim commenta delet dies; naturæ judicia confirmat.



stabilem permanensuram fuisse, neque diuturnitate temporis adeo confirmari potuisse, nisi ea omnibus innata et animo quasi insculpta esset. Haec vero disputandi ratio nulli hominum generi minus, quam Stoicis conveniebat, quippe qui omnes mortales, uno sapiente excepto, stultos esse et delirare affirmabant, praetereaque ejusmodi dogmata defendebant, quae omnia fere communibus vulgi opinionibus prorsus opposita erant.

Ex firmiteribus vero Stoicorum argumentis primum illud adducam, quod Chrysippum invenisse Cicero testis est. (de Nat. Deor. II, 6.) Hic igitur vir, quem Cicero omnium Stoicorum callidissimum et versutissimum appellavit, sequenti modo concludebat: Si est aliquid in rerum natura, quod hominis mens, quod ratio, quod potestas humana efficere non potest; est certe id, quod illud efficit, homine melius. Atqui res coelestes, omniaque ea, quorum est ordo sempiternus, ab homine confici non possunt. Est igitur, quo illa effecta sunt, homine melius. Id autem quid potius dixeris,



quam Deum? — Nemo vero est, qui non intelligat, hanc ratiocinationem tum demum aliquid ponderis habere, si antea probatum est, virtutem illam, quae humanam potentiam longe superet, cum ratione et consilio conjunctam esse, quod Socratico plane more demonstrare solebant: *) Nisi enim hoc extra omnem dubitationem posuissent, tam Democritus et Epicurus,

rus,

*) Cic. de Nat. Deor. II. 6. Et tamen ex ipsa hominum sollertia esse aliquam mentem, et eam quidem acriorem, et divinam existimare debemus. Unde enim hanc homo arripuit? ut ait apud Xenophontem Socrates. Et c. 8. ita pergit Cicero: idemque (Zeno) hoc modo: nullius sensu carentis pars aliqua potest esse sentiens. Mundi autem partes sentientes sunt; non igitur caret sensu mundus. Pergit idem et urget angustius; nihil, inquit, quod animi, quodque rationis est expers, id generare ex se potest animantem, compotemque rationis. Mundus autem generat animantes, compotesque rationis; animans est igitur mundus, composque rationis. Idemque similitudine, ut saepe solet, rationem conclusit hoc modo: si ex oliva modulate canentes ribiae nascerentur: num dubitares, quin inesset in oliva ribicinis quaedam scientia? quid, si plarani fidiculas ferrent numerose sonantes? idem scilicet censeris, in platanis inesse musicam. Cur igitur mundus non animans, sapiensque judicetur, cum ex se procreet animantes et sapientes?



rus, quam Strato Lampfacenus totam eorum argumentationem concedere, et nihilo tamen minus vel temeritatem, vel necessitatem vel denique naturam tanquam viribus humanis longe superiores, et maximorum operum effectrices inducere potuissent.

Ejusdem Chryssippi alia non minus probabilis rationis conclusio erat, qua postea praeter Stoicos multi quoque ab ipsis ceteroquin valde discrepantes veritatis defensores, tanquam publicà voce usi sunt. Quodsi igitur Sextum (IX. adv. Math. 88.) et Ciceronem (II. de Nat. Deor. 6. 12.) sequimur, vir iste inter Stoicos maximae auctoritatis sic fere argumentatus est. Si una vel natura, vel animans, vel anima altera melior est, sequitur, unam vel naturam, vel animantem, vel animam optimam existere, quod harum rerum nulla in infinitum crescere potest, quaevis contra alicubi consistere debet. Jam vero certum est, ceteris animantibus solum hominem excellere, quippe qui elegantissimo corpore et ratione, qua nihil praestantius esse queat, praeditus sit. Desipientis tamen arrogantia fo-



ret, si quis propterea in omni mundo nihil homine melius esse credere vellet, quum hic terrarum dominus tot corporis infirmitatibus, animique morbis, erroribus nempe et vitiis, vexetur. Statuendum itaque est, imperfecta et quasi inchoata hominis natura aliquid melius esse, et id, quod non solum hominem, sed omnes quoque ceteras res virtute et sapientia vincat, recte Deum appellari. — Hac vero Chrysippi ratione nihil amplius efficitur, quam probabile esse, naturam quandam humana majorem, eamque ratione praeditam existere. Eadem vero nihil habet, unde perspici possit, an haec natura homine augustior tam incredibili quoque virtute instructa sit, ut illam procreando mundo parem fuisse credi possit.

Cum his, quae haecenus attuli, nimis conspirat alia ratio, vide Sextum (IX 119.) et Ciceronem (II 13.) quam ut illam ab eodem ingenio profectam esse dubitare possem. Animadvertabat nempe Chrysippus, in nullo non artis atque naturae opere extremum aliquod atque perfectum esse, quod cujusque rei principatus appellari



pellari possit. Uti igitur in stirpibus atque arboribus radices, in bestiarum vero et hominum corporibus cor sive cerebrum principatum teneant; ita quoque probabile esse, in mundo perfectum aliquod et absolutum inveniri, quod rerum universitatis principatus sit. Hunc vero mundi principatum nihil aliud esse posse, quam praestantissimam aliquam naturam, ratione praeditam, qua omnes res contineantur, quaeque Dei nomine recte insigniatur. Si quis autem vel terrae, vel aeri, vel soli principatum tradere velit; illum vehementer errare, et res toto genere diversas confundere. Sine istis nimirum corporibus mundum quidem constare non posse, neque tamen eorum ullum pro principe illius parte habendum esse, quae haec omnia completatur atque administret,

Ne haec quidem Stoicorum ratio ita mihi conclusa videtur, ut non Epicuri et Stratonis sectatores multa adversus illam proferre potuissent. Quem enim sperare poterant, ipsis concessurum esse, in quavis re aliquid esse extremum, quod ceteris ejusdem rei partibus excellat et domine-



tur. Nihil enim facilius erat, quam innumera corpora non sensu modo et ratione, sed vita quoque carentia ipsis opponere, quibus non video, quomodo principatum aliquem affingere potuissent. Quodsi vero Stoicorum adversarii hoc etiam ipsis donassent: in omnibus rebus *ἡγεμονικόν* aliquid inesse, neque idem igitur mundo denegari posse; aliis tamen argumentis confirmandum erat, hunc mundi principatum divinam quandam naturam, eamque summa potestate, sapientia et virtute praeditam esse. Nisi enim hoc antea effectum esset, Epicuri et Stratonis discipuli Stoicorum ratiocinationi acquiescere simulque suam de natura vel fortuna, universi principatu, opinionem tueri poterant.

Multo subtilior illa Stoicorum argumentatio erat, cujus inventor ignoratur, quaque non solum divinam aliquam naturam existere, sed unum quoque Deum omnia generasse, atque administrare vincere annitebantur. (Sext. IX. 78. Cic. II 7 38. 45. 46) Initio quidem tria corporum genera ponebant: primum eorum, quae stirpium et animantium instar una aliqua virtute,
sive



sive cōhaerendī natura contineantur, quaeque propterea intīme inter se conjuncta sive *ἠνωμενός* appellabant: alterum eorum, quae, uti naves et catenae, e diversis partibus ad communem aliquem finem conglutinata sint, eamque ob causam copulata sive *συνωπτομενός* ab ipsis vocabantur: tertium denique eorum, quae ex disjunctis membris (*ἐκ διεστώτων*,) quorum quodvis per se existat, composita sint, in quod ultimum corporum genus exercitus, greges aliaque hujusmodi referre solebant. Hac rerum divisione constituta, quaerebant porro, quo in genere universus mundus collocandus sit, atque ad hanc quaestionem ita respondebant, ut multis rerum exemplis et experimentis docerent, mundum neque ex partibus juxta se positis, atque ad finem aliquem inter se copulatis, multo minus ex prorsus disjunctis corporibus constare, verum potius pro immenso quodam rerum complexu haberi oportere, qui una quadam intelligentia animali, sive uno divino et continuato spiritu contineatur. Ut hanc itaque tantam rerum consentientem et conspirantem cognationem demonstrarent, non hoc solum afferebant: una totius



coeli conversione dispares ástrorum cursus conservari, et inter tot rerum mutationes solis accessus discessusque solstitiis brumisque cognosci; verum inprimis ad lunae vim in terram pertinentem, mirabilesque ejus effectus provocabant. Hujus quippe ortu et occasu aestus maritimos, fretorumque angustias commoveri, eandemque a sole illuminatam graviditates et partus, et gignendi maturitates afferre. Quae omnia fieri posse negabant, nisi concinentibus inter se mundi partibus rerum copulatio, et quasi consentiens ad mundi incolunitatem coagmentatio naturae existeret, eaque una eademque causa effecta esset, et conservaretur.

Postquam vero ad hunc locum pervenissent, tum demum naturam illam accuratius definiabant, quae omnia complectatur, cujusque potestate innumerarum rerum multitudo tam incredibiliter inter se conspiret. Aiebant nempe, causam illam, quae mundum contineat, neque nudam quandam vim esse (*ψιλὴν ἐξίω*), cujusmodi illa sit, qua lapides et metalla vinciantur, neque porro vitalem quandam virtutem, vitaeve
geni-



genitricem naturam, qualis illa putanda sit, quae stirpes ex sese fundat, nutricetur et augeat: neque denique solam spirabilem animam, sensu et appetitione praeditam: sed imprimis mentem quandam, praestantissima virtute et sapientia instructam. Quum enim naturae, ratione et virtute praeditae, in hac rerum universitate inveniuntur, necesse esse, eam naturam, quae praeter ceteras res has quoque contineat, mentis et consilii expertem esse non posse.

Dolendum profecto est, primum hujus argumenti repertorem, qui que illum postea secuti sunt, id, quod praeclare observaverant, foedi erroris, vel futilis potius somnii additamento corrupisse et suspectum reddidisse. Quis enim non Stoicos summopere laudasset, si ex admirabili rerum conspiratione, et dissimillimorum corporum concentu conclusissent, unum tantum mundi conditorem et rectorem existere posse? Dum vero ultra obviam hanc, et ultro quasi se ipsis offerentem rationem subtilius aliquid quaererent, a veritate, quam quasi manibus comprehenderant, rursus aberrabant, eam-
que



que doctrinam, ad quam confirmandam artificiosas argutias conquifiverant, ipfi paene evertabant. Non fufficiebat ipsis ea tueri, quae facile probare poterant: omnia nempe mundi corpora inter fe conjuncta et apta effe: verum ab hac obfervatione ad ejusmodi opinionem progrediebantur, quae ab omni quafi parte adverfariorum telis expofita erat: mundum nimirum immenfum aliquod animal effe, cujus partes eodem modo ficuti humani corporis membra copulatae fint, quodque ceterarum animantium hominisque inftar fentiente quadam et intelligente natura gubernetur. (Cic. de Nat. Deor. II. 32. *) Quodfi hoc commentum omittere voluiffent: non video, quid Stoïcorum effatis melius et gravius dici atque inveniri potuiffet?

Post

*) Huc pertinet imprimis fequens Marci Aurelii locus: *Lib. VII. §. 9.* Πάντα ἀλλήλοις ἐπιπλεκεται. καὶ ἡ συνδεσις ἱερα, καὶ σχεδὸν τι ἕθεν ἀλλοτριὸν ἀλλῷ ἀλλῷ. συγκατατετακται γὰρ, καὶ συγκοσμεῖ τὸν αὐτὸν κόσμον. κόσμος τε γὰρ εἰς δια ἅπαντων, καὶ Θεὸς εἰς δια πάντων, καὶ ὄσια μία, καὶ νόμος εἰς, λόγος κοινὸς πάντων τῶν νοερῶν ζῶων, καὶ ἀληθεῖα μία.



Post explicatas vero et confirmatas suas copias eorum hominum agmina, qui vel fortunam, vel casum, vel necessitatem, vel naturam quandam ratione carentem mundum effecisse, eumque versare somniabant, tanta virtute aggrediebantur, ut fere dici possit, illos in oppugnandis alienis possessionibus magis, quam in suis defendendis valuisse. Observabant itaque, omne, quod certa ratione et numero moveatur, sine consilio moveri non posse, in quo nihil temerarium, nihil varium sive fortuitum deprehendatur. Jam vero nullam in coelo nec fortunam, nec temeritatem, nec errationem et varietatem inesse, contraque omnem ordinem, veritatem et rationem. Hinc itaque facile intelligi, admirabilem siderum ordinem, atque in omni aeternitate constantiam, neque naturam vel necessitatem motus cientes in corporibus necessarios significare, quod plena rationis sit, neque etiam fortunam vel casum, quippe quae amica varietati constantiam respiciat. Urgebant porro: illum, qui vel necessitatem vel naturam mundi effeſtrices esse credat, utrasque vel constantia et ordine plenas, vel utriusque etiam expertes statuere debere,



berē. Quodsi alterum ponatur, nullam illis veritatem atque constantiam inesse sequi, ne ipsas quidem mundum ordine movere posse. Si quis contra omnem temeritatem atque varietatem procul ab ipsis abesse putet, tum sanē neutram divini consilii expertem dicendam esse. Has rationum conclusiones pluribus similibus ad hanc rem egregie accommodatis illustrare solebant, quae statim ex Cicerone, et maximam partem ipsius verbis adducam.

Licet vero ex superioribus argumentationibus, quibus mundum a Deo constitutum esse probabant; illud etiam efficeretur, universum hoc a Deo semper administrari, haec tamen de providentia divina doctrina tam gravis ipsis videbatur, ut illam novis quibusdam rationibus confirmandam esse censerent. Totam vero hanc disputationem in tres partes dividebant, quas nemo copiosius Cicerone e Stoicorum libris exposuit, (II. de Nat. 30 et sq.) e qua tamen ea solummodo transcribam, quae ipsis vel propria fuisse, vel omnium quoque optime ab ipsis dicta esse inveniam.



Primum itaque cum Platone agebant, aut negandum esse, Deum existere, aut illi etiam, qui Deum relinquit, fatendum esse, divinam naturam aliquid agere, idque praeclarum. Nihil vero praeclarius esse mundi gubernatione, mundum igitur divino consilio administrari. Quod si aliter sit, aliquid profecto esse oportere melius et majore vi praeditum, quam numen divinum: quaecumque id sit, sive inanima natura, sive necessitas vi magna incitata, haec pulcherrima opera efficiens, quae videmus. Tum vero divinam naturam neque praepotentem, neque excellentem nominari posse, siquidem ea subiecta foret illi vel necessitati, vel naturae, qua coelum, maria et terra regantur. At vero nihil praestantius esse Deo, eumque nulli etiam naturae obedientem atque subiectum: ab eo igitur necesse esse mundum administrari. Si quis porro concedat, intelligentem esse Deum, eundem concedere etiam providentem, et rerum quidem maximarum. Neque enim Deum ignorare, quae res maximae sint, quoque hae modo tractandae et sustinendae sint, quod ignoratio rerum divinae naturae aliena sit.



Neque etiam vi carere, qua tantae res gerantur et sustineantur, nulla quippe sustinendi muneris difficultas in Dei majestatem cadat. Hinc itaque effici, mundum providentia administrari.

His vero licet gravissimis argumentis ne ipsi quidem Stoici tantum tribuisse videntur, quantum illi rationi, quam ex rerum coelestium et terrestrium pulchritudine, ordine atque utilitate petebant. Quam rationem licet antiquiores etiam philosophi egregie adhibuissent, certum tamen est, Stoicos omnes, quotquot ipsos antecesserant, in conquirendis divinae mentis et praestantissimarum ejus virtutum indiciis, quae vel minimis rebus impressa esse putabant, industria pariter atque ingenio longe superasse; unde factum est, ut recentiores Academici illos nimiae diligentiae accusarent, quasi Dei majestatem deducendo illam ad apium et formicarum perfectionem imminuerent. (Ac. Quaest. IV. 38.) Nisi igitur quis existimet, Ciceronem in pertractando hoc Stoicae philosophiae loco (de Nat. Deor. II. 34 et sq.) praeter verbo-
rum



rum ornatum et magnificentiam, qua ipsorum dicta atque decreta illustravit, suas quoque aliorumve praeclaras cogitationes Stoicis commodasse, (quod cuivis Ciceronis lectori prorsus incredibile videri debet) negari non potest, illos coelestium corporum magnitudines, ordines ramosque et immutabiles motus, praeterea anni, temporum, ventorum et tempestatum opportunitates, omniumque rerum, quas terra vel complexu suo coercet, vel e gremio suo effundit, amoenitates et utilitates, postremo animantium configurationem, appetitus, sensus et artes, imprimis vero hominis excellentiam et virtutes tanto acumine indagasse et enarrasse, ut vel pertinacissimo providentiae hosti confessionem illam exprimere possent, inesse aliquem non solum habitatorem in hac coelesti et divina domo, verum etiam rectorem et moderatorem.

Huic egregiae orationi alia argumenta atque similia non minus subtiliter inventa, nec minoris etiam momenti tanquam appendiculas adjiciebant. (de Nat. D. 6. 33. 34. 35. 37. 38.) Aiebant nempe, neminem dubitare, minora



esse ea, quæ arte, quam illa, quæ natura perfecta sint: artem vero nihil efficere sine ratione: multo minus igitur naturam rationis expertem habendam esse. Qui igitur convenire, signum aut tabulam pictam si quis adspexerit, scire adhibitam esse artem: cumque procul cursum navigii viderit, non dubitare, quin id ratione atque arte moveatur: aut cum solarium, vel descriptum, vel ex aqua, contempletur, intelligere, horas declarari arte, non casu: mundum autem, qui et has artes, et earum artifices, et cuncta complectatur, consilii et rationis esse expertem credere? Quod si porro in Scythiam sphaeram aliquis tulerit, cujus singulæ conversiones idem efficerent in sole et in luna, et in quinque stellis errantibus, quod efficitur in coelo singulis diebus et noctibus: quem in illa barbarie dubitaturum esse, quin ea sphaera sit perfecta ratione? Jam vero esse, qui dubitent de mundo, ex quo et oriuntur et fiunt omnia, casumne ipse sit effectus, aut necessitate aliqua, an ratione et mente divina: eodemque Archimedes arbitrari plus valuisse in imitandis sphaerae conversionibus, quam naturam in efficiendis,



dis; praesertim cum multis partibus sint illa perfecta, quam haec simulata, sollertius. Quum igitur nemo, qui machinatione quadam res moveri videat, non dubitet, quin illa opera sint rationis; quem tanta audacia fore, ut dubitet, coelum, quod admirabili cum celeritate vertatur, et vicissitudines anniversarias cum summa salute et conservatione rerum omnium conficiat, non solum ratione, verum etiam excellenti quadam, divinaque ratione versari? Quae cum ita se habeant, annon monstri simile esse, homines existere, qui sibi persuaserint, corpora quaedam solida atque individua, vi et gravitate ferri, mundumque effectum esse ornatissimum et pulcherrimum ex eorum corporum concursione fortuita? Hoc qui existiment fieri potuisse, sese non intelligere, cur non iidem putent, si innumerabiles unius et viginti formae litterarum, vel aureae, vel qualeslibet, aliquo conjiciantur, posse ex his in terram excussis annales Ennii, ut deinceps legi possint, effici, quod vehementer dubitari oporteat, an vel in uno versu possit tantum valere fortuna. Monebant denique: si nemo adduci possit, ut



domum aliquam magnam pulcramque, etiamfi dominum non videat, muribus illam et mustelis aedificatam putet: annon ille plane desipere videatur, qui tantum mundi ornatum, tantam varietatem pulcritudinemque rerum coelestium, tantam vim et magnitudinem maris, tantum terrarum orbis ambitum sine ratione et consilio existere potuisse existimet.

Postquam vero Stoici demonstraverant, divina providentia mundum constitutum esse atque conservari, hoc quoque efficere conabantur, non universo tantum hominum generi, sed singulis etiam hominibus provideri. Urgebant nimirum, nihil ob stare, quo minus universitatem generis humani contrahere, eamque gradatim ad pauciores, postremo ad singulos deducere liceat. (II. de Nat. Deor. 66.) Huic rationi convenienter ita pergebant: quodsi igitur omnibus hominibus, qui ubique sunt, quacunque in ora ac parte terrarum, ab hujusce terrae, quam nos incolimus, continuatione distantium, Deos consulere censemus: his quoque hominibus consulunt, qui has nobiscum

terras



terras ab oriente ad occidentem colunt. Sin autem his consulunt, qui quasi magnam quandam insulam incolunt, quam nos orbem terrae vocamus; etiam illis consulunt, qui partes ejus insulae tenent, Europam, Asiam, Africam. Ergo et earum parte diligunt, ut Romam, Athenas, Spartam, Rhodum: et earum urbium separatim ab universis singulos diligunt, ut Pyrrhi bello Curium, — multosque praeterea, quos et Romana civitas, et Graecia tulit singulares viros; quorum neminem, nisi juvante Deo, talem fuisse credendum est.

Ex hoc vero, de divina providentia, ad singulas res pertinente, decreto aliam, quae sponte inde fluebat, sententiam derivabant: mundi nempe scilicet administrationem nihil habere in se, quod reprehendi possit, omnesque mundi partes ita constitutas esse, ut neque ad usum meliores esse potuerint, neque ad speciem pulchriores. Audacter itaque quemvis provocabant, ut doceret, aliquid potuisse melius, statim vero summa fiducia adjiciebant, neminem unquam hoc ostensurum esse. Si quis vero ali-



quid corrigere voluerit, illum vel deterius facturum, vel id, quod fieri non possit, desideratum esse (II. 84. de Nat. Deor.)

Neutiquam vero commovebantur, vel haesitabant Stoici, quando ipsis objiciebatur, illum mundum, quem ipsi pulcherrimum appellent, innumeris tamen malis refertum esse, quibus omne animantium, inprimis vero hominum genus, nullo non tempore miserrime vexetur, neque igitur credibile esse, hocce universum tot miseris, erroribus et vitiis deturpatum, a divino aliquo architecto conditum fuisse. Ad hanc objectionem primo loco respondebant, maiorum culpam neque in materiam, omnium scilicet qualitatum expertem, neque etiam in Deum rejici posse, quippe qui nulla non virtute praeditus omnique scelere purus, ex permutabili illa et flexibili materia illud, quod effici potuerit, optimum effecerit. *) (de Nat. Deor. II. 34.)

Ne-

*) Ex iis enim naturis, quae erant, quod effici potuit optimum, effectum est. Doceat ergo aliquis potuisse melius. Sed nemo unquam docebit: et si quis corrigere aliquid voler, aut deterius faciet, aut id, quod fieri non potuit, desiderabit.



Neque tamen maximam summi Dei potestatem tantam fuisse, ut a concreta ejusmodi, et perpetuis mutationibus obnoxia natura, omne, quod imperfectum esset, removere, ex eaque nil nisi divinum et immortale generare potuerit. Quod si igitur in pulcherrimo mundi opificio maculae quaedam, quae nobis saltem in tanta ingeniorum nostrorum imbecillitate ita appareant, inveniantur; non statim propterea Deum vel imbecillitatis vel malivolentiae accusandum, verum potius cogitandum esse, ea, quae quis vel reprehendat, vel desideret, a fluxa illa, quae corporibus subjecta sit, natura non removeri, vel nullo etiam modo fieri potuisse.

Ab hac argumentatione, quam cum Leibnizii ratione plane eandem esse judico, ad aliam progrediebantur, quae inter egregias divinae providentiae defensiones merito referri debet, quam tamen non semper caute satis adhibuerunt. Observabant itaque, innumera bona, quae optimi artificis bonitas a mundo abesse non siverit, cum contrariis malis tam arcte copulata esse, ut altera sine alteris existere non potuerint, et hinc con-



cludebant, maximam bonorum multitudinem locum habituram non fuisse, nisi mala ipsis opposita, atque indissolubili modo cum illis juncta in mundum inuenta vel admissa non essent. Ut hanc vero praeclaram observationem illustrari aliquo exemplo confirmaret Chrysippus *), quae-

*) Vid. Gell. Noctes Atticas Lib. VI. I. Adversus ea Chrysippus quum in libro *περι προνοιας* quarto differeret, nihil est prorsus istis, inquit, imperitius, nihil insubidius, qui opinantur, bona esse potuisse, si non essent ibidem mala. Nam quum bona malis contraria sunt; utraque necessarium est opposita inter sese et quasi mutuo, adverso quaeque fulta nisu, consistere. Nullum adeo contrarium sine contrario altero. — Idem Chrysippus in eodem libro tractat, consideratque, dignumque esse id quaeri putat, *ει αι των ανθρωπων νοσοι κατα φυσιν γινονται*. — Existimat autem, non fuisse hoc principale naturae consilium, ut faceret homines morbis obnoxios. Nunquam enim hoc convenisse naturae auctori, parentique rerum omnium bonarum. Sed quum multa, inquit, atque magna gigneret, pareretque aptissima et utilissima: alia quoque simul agnata sunt incommoda iis ipsis, quae faciebat, cohaerentia: eaque non per naturam, sed per sequelas quasdam necessarias facta dicit, quod ipse dicit, *κατα παρακολληθειν*. Sicut, inquit, quum corpora hominum natura fingeret, ratio subtilior et utilitas ipsa operis postulavit, ut tenuissimis minutisque ossiculis caput compingeret. Sed hanc utili-



quaerere solebat, an quis vel somniando cogitare possit, humanos sensus et artus ad percipiendas rerum noticias, et undique affluentes voluptates adeo habiles fingi potuisse, nisi simul tam teneri, tam molles, et flexibiles conformati essent, ut externarum rerum nimia vi in illas irruentium plagis atque ictibus vulnerari et lacerari possent. Hoc igitur aliisque similibus exemplis commotus pronuntiabat Chrysippus, mala fatali quadam eorum cum bonis cōpulatione in hunc mundum venisse.

Eandem vero cogitationem, qua Chrysippus in explicandis naturalium malorum, sive eorum, quae animantium et hominum corporibus accidunt, incommodorum originibus feliciter usus erat, eandem, inquam, cogitationem

Hh 5

longe

utilitatem rei majoris alia quaedam incommoditas extrinsecus consecuta est: ut fieret caput tenuiter munitum, et ictibus offensionibusque parvis fragile; proinde morbi quoque et aegritudines partae sunt, dum salus paritur. — Simili modo Seneca in universum pronuntiat: non potest artifex mutare materiam: haec passa est. Quaedam separari a quibusdam non possunt, cohaerent, individua sunt; *de Prov.* c. 5.



longe diverso eventu ad excusanda humani animi vitia atque perversitates transferre conatus est. Non desperabat nempe vir acutissimus, sese effecturum esse, neque virtutem neque honestos viros existere potuisse, nisi immensa vitiosorum et facinorosorum hominum agmina in mundum immissa fuissent. Tota vero cavillatio verborum tantum definitionibus, inter Stoicos usitatis, nitebatur, quibus vel negatis vel refutatis totam argumentationem ruere necesse erat *). Nusquam igitur Plutarchus, mea quidem sententia, justiore causa

*) Quo enim pacto justitiae sensus esse posset, nisi essent injuriae? aut quid aliud justitia est, quam injustitiae privatio? quid item fortitudo intelligi posset, nisi ex ignaviae oppositione? quid continentia, nisi ex intemperantiae? quo item modo prudentia esset, nisi foret contra imprudentia? Proinde, inquit, homines stulti cur non hoc etiam desiderant, ut veritas sit et non sit mendacium, namque itidem sunt bona et mala, felicitas et infortunitas, dolor et voluptas. Alterum enim ex altero, sicuti Plato ait, verticibus inter se contrariis deligatum est. Sustuleris unum, abstuleris utrumque. *Chrysippus* ap. Gell. l. c. Apud Plutarchum vero ita loquitur: (de Stoic. rep. p. 343. adv. Stoic. 395. Op. X.) ἡ δὲ κακία πρὸς τὰ λοιπὰ συμπτώματα ἔχει ὄρον. γίνεται γὰρ αὐτὴ πῶς κατὰ τὸν τῆς φύσεως λόγον, καὶ ἵνα οὕτως εἴπω, ἕκ ἀχρησίας γίνεται πρὸς τὰ ὅλα. ἴδε γὰρ ἀν' τ' ἀγαθῶν η.κ.



causa Stoicos reprehendisse videtur, quam ubi singularem hanc et admirabilem eorum opinionem impugnavit: nullam sine errore veritatem, neque virtutem sine malitia in mundo sive in terris existere potuisse *).

Idem vero Plutarchus magis invidiosis criminationibus, quam argumentorum pondere Stoicos obruere conatur, quando propterea in illos invehitur, quod incommoda atque mala singulis quidem mundi partibus calamitatem atque perniciem afferre, et nihilo tamen minus eadem ad universi salutem atque incoluitatem pertinere posse statuerint. Quid enim, quaeso,

*) εἰκην (inquit Plut. p. 395.) ἐν θεοῖς ἀγαθόν εἶδεν εἶναι, ἐπεὶ μὴδὲ κακόν. εἶδεν ὅταν ὁ Ζεὺς εἰς αὐτὸν ἀναλύσας τὴν ὕλην ἅπασαν, εἰς γενηται, καὶ τὰς ἄλλας ἀνελεῖ διαφόρας, εἶδεν εἶναι ἀγαθόν τῆνικαὺτα μὴδενος γε κακῆ παρόντος. ἀλλὰ χορῆ μὲν εἶναι ἐμμελεῖα, μὴδενος ἀπαδοῦτος ἐν αὐτῷ. καὶ σώματος ὑγίεια, μὴδενος μοριε νοσῆντος. ἀρετὴ δ' ἀνευ κακίας οὐκ εἶχει γενέσθαι, ἀλλ' ὡσπερ ἐν αἰσ τῶν ἰατρικῶν δυνάμεων ὡς σφῆως, καὶ χολῆ ὑαίνης, ὅτως ἀναγκαῖον εἶναι ἐπιτηδειότης ἕτερα τῆ μηλιτῆ μοχθηρία πρὸς τὴν σώκρητης δικαιοσύνην, καὶ τῆ κλεωνος ἀναγωγία, πρὸς τὴν Περικλέους καλοκαγαθίαν. Πῶς δ' ἂν εἴρεν ὁ Ζεὺς τὸν Ἡρακλέα φυσαί, καὶ τὸν Λυκόν, εἰ μὴ καὶ Σαρδανάπαλλον ἡμῖν εἴφουσε καὶ Φαλαριν;



quaeso, magis pervulgatum atque tam communis vitae, quam omnis vetustatis exemplis magis testatum est, quam eosdem casus, quibus singuli cives affliguntur, totas saepe civitates et societates erigere, earumque statum et felicitatem confirmare et promovere? Non improbabiler igitur ratiocinati esse videntur Stoici, quando magna cum parvis conferentes in communi Deorum ac hominum civitate id locum habere conjiciebant, quod in hominum rebus publicis quotidie accidere ipsa experientia docet. Quin cum ipso Platone sentiebant, (cujus defendendi studium Plutarchum maxime adversus Stoicos instigavit) quum affirmarent, tam ea incommoda, quae naturae nostrae fragilitas afferat, quam illa, quibus aliorum hominum errores et vitia bonos viros vexent, his non solum non nocere, verum etiam utilia esse, quippe quibus eorum virtus exerceatur et roboretur *). Tantum igitur abest, ut Stoicos objurgandos esse censeam, ut eos potius summis laudibus dignos

*) Vide Arr. Diss. I. 29. Ant. II, I. Sen. de Prov. c. 3. 4.



gnos existimem, quoties in fortes has et animo-
 fas voces erumpebant: nihil in mundo inveniri,
 quod non ipsius naturae conveniat, quippe qui
 nulla externa vi ad malum aliquod efficiendum co-
 gi possit: (Ant. X. 6. et 7. *) neque igitur illud
 quidem, quod mali specie offendat, ex infinita hac
 rerum et causarum serie sine totius universi in-
 teritu sive perturbatione vel abesse potuisse, vel
 etiamnum eximi posse **).

Nul-

*) εδεν γαρ βλαβερον τῷ μέρει, ὃ τῷ ὅλῳ συμφε-
 ρει. ἔ γαρ ἔχει τι το ὅλον, ὃ μὴ συμφερει
 ἑαυτῶν. πατῶν μὲν φυσεων κοινον εχουσαν τῆστο.
 τῆς δὲ τῆς κοσμοῦ προσειληφύιας, τὸ μὴδὲ ὑπο
 τινος ἐξῶθεν αιτιας αναγκαζεσθαι βλαβερον τῆ
 ἑαυτῆ γενναν. — Ποτερον γαρ επεχειρησεν ἡ
 Φυσις αὐτῆ τὰ ἑαυτῆς μερη κακων, και περι-
 πτωτικα τῶ κακῶ, και ἐξ αναγκῆς εμπτωτα
 εις το κακον ποιειν, ἢ ελαθεν αὐτῆν τοιαδε τινα
 γυνομενα; ἀμφοτερα γαρ ἀπιθανα.

**) Ant. Lib. V. §. 8. ὅλης γαρ ἀρμονια εσι μια.
 και ὡσπερ εκ παντων τῶν σαματων ὁ κοσμος
 τοιςτον σαμα συμπληρεται, οὕτως εκ παν-
 τῶν τῶν αιτιῶν ἡ εικαρμενη τοιαυτη αιτια συμ-
 πληρεται. — και οὕτως ἀσπαζε παν τι γι-
 νομενον, καν ἀπῆνεσερον δοκη, δια το εκει
 αγειν, ἐπι τῆν τῆς κοσμοῦ ὑγειαν, και τῆν τῆς
 Διος ευοδιαν και ευπραγίαν. ἔ γαρ αντῆστο τῆ
 εφερει, ει μὴ τῆ ὅλῳ συνεφερει. εδε γαρ ἡ
 τυχεσα Φυσις φερει τι, ὃ μὴ τῶ διοικημενω
 ὑπ'



Nullam vero Stoicis firmitus veritatis propugnaculum adversus divinae providentiae accusatores constituisse sibi videbantur, quam suam de bonorum et malorum natura doctrinam, quae recte universae ipsorum philosophiae ars appellari potest. Multis nempe iisque exquisitis argumentis vincere satagebant: solam virtutem verum bonum; malitiam vero sive vitium unicum et summum malum esse: reliquas vero res externas, quae in nostra potestate non sint, atque bonis pariter ac malis accidere possint, neque inter bona, neque inter mala referri debere *). Hoc solo decreto eorum impetus reprimebant, qui fortunae et corporis commoda

atque

ὕπ' αὐτῆς κατ' ἀλλήλων ἐστὶ ἕκην κατὰ δύο λόγους ἐργεῖν ἕξη το συμβαῖνον σοι. Καθ' ἑνὰ μὲν, ὅτι σοι ἐγίνετο, καὶ σοι συνετάττετο, καὶ πρὸς σε πῶς εἶχεν, ἀναθῆν ἐκ τῶν πρεσβυτέρων αἰτιῶν συγκλωθόμενον. καθ' ἕτερον δὲ, ὅτι τῷ το ὅλον διοικῆντι τῆς εὐδοκίας, καὶ τῆς συντελείας, καὶ ἢ Δία τῆς σύμμοιης αἰτιῶν ἐστὶ πηρέται γὰρ το ὅλοκληρον, εἰν καὶ ὅτιν διακοψῆς τῆς συνηφείας, καὶ συνεχείας, ὡσπερ τῶν μορίων, οὕτω δὲ καὶ τῶν αἰτιῶν.

*) vide in p. Sen. Ep. 66. de Prov. 5. c. Arist. IV. 39.



atque incommoda sine ullo discrimine in bonos pariter atque malos effundi invidiose conquerebantur. Respondebant enim, nihil injustius esse, quam divinam providentiam propterea accusare, quod neutra sive indifferentia et adventicia, propter quae nemo vel probetur, vel improbetur, in medio quasi posuerit, quum ea, quae omnes tanquam bona optent, quaeque falso fucō circumlita intra nihil fronti suae simile habeant *), nullius prorsus ad beatam vitam momenti sint, ea vero, quae vulgo mala appellantur, neminem peritum fugiendorum et petendorum, neque

*) Ant. II. §. II. Καὶ τοῖς μὲν κατ'ἀληθείαν κακοῖς, ἵνα μὴ περιπίπτῃ ὁ ἀνθρώπος, ἐπ' αὐτὰ τὸ παν εἶναι. τῶν δὲ λοιπῶν εἰ τι κακὸν ἦ, καὶ τὸτο ἀν προῖδοντο, ἵνα ἐπ' ἡ παντὴ τὸ μὴ περιπίπτειν αὐτῷ ὁ δὲ χεῖρ μὴ ποιεῖ ἀνθρώπον, πῶς ἀν τὸτο βίον ἀνθρώπου χεῖρ ποιήσειεν; ἔτε δὲ κατ'ἀγνοίας, ἔτε εἰδυία μὲν, μὴ δυναμένη δὲ προφυλαξέσθαι, ἢ διδρασαύθαι ταῦτα, ἢ τῶν ὅλων φύσις παρτεῖν ἀν' ἔτε ἀν τῆλικτον ἡμαρτεν, ἢτοι παρ'ἀδυναμιῶν, ἢ παρ'ἀτεχνιῶν, ἵνα τὰ ἀγαθὰ καὶ τὰ κακὰ ἐπίσης τοῖς τε ἀγαθοῖς ἀνθρώποις, καὶ τοῖς κακοῖς πεφορμενῶς συμβαίη. Θάνατος τε γέ καὶ ζῶν, δόξα δὲ καὶ ἀδόξα, πόνος καὶ ἡδονή, πλοῦτος καὶ πενία, πάντα ταῦτα συμβαίη ἀνθρώπων τοῖς τε ἀγαθοῖς καὶ τοῖς κακοῖς, ἔτε καλὰ οὐτὰ, ἔτε αἰσχρὰ. ἔτε ἀρ' ἀγαθὰ, ἔτε κακὰ εἶσι.



neque ex opinione, sed ex natura pretia rebus imponentem miserum efficere queant. Ne quis vero ipsis objiceret, virtutem, quam ipsi bonorum ultimum existimabant, ab invido numine in tam alto fastigio positam esse, ut vix unus et alter multorum saeculorum spatio ad illam perveniat, viamque praeterea, quae ad illam ducat, tantis difficultatibus impeditam, tamque variis hostibus obsessam esse, ut omnes homines in medio cursu vel defatigarentur vel interciperentur; superius illud decretum aliis tanquam ad miniculis fulciendum esse duxerunt. Concedebant itaque, ob diversam animorum et corporum temperationem in omnibus hominibus neque eandem naturae bonitatem, neque etiam ingenii magnitudinem inesse, proptereaque non omnibus aequae faciliem ad virtutem ascensum esse *). Simul vero pertinaciter defendebant, divinae providentiae beneficio nulli non homini rectam rationem ingeneratam esse, cujus ope veritatem ab errore, bonumque a malo discernere,

*) Vide Cic. Tus. Quaest. IV. 14. 37. Senecam de Ira II. 15. 18. 19.



nere, atque rectum vitae iter constanter sequi possit *). Statuebant porro, homines ad virtutem genitos esse, atque modo ipsi emendari velint, ab ipsa natura in formandis animis suis adjuvari **). Contra vero negabant, hominis naturam vel infitis vitiis, et pravis libidinibus corruptam esse, vel flagitiosis animis, quas Plato importunissimarum perturbationum sedes dixerat, ad scelus quodammodo incitari et rapi. Ex his omnibus denique efficiebant, quemvis, qui divinum rationis munus ita negligat, ut propterea in exitiabiles errores et vitia incidat, Deum non magis accusare posse, quam si quis sano corpore et integris membris praeditus in in-

cen-

*) Arr. Diff. I. 6. *Αγς, δυνάμεις εκ ειληφατε, καθ' ας οισετε παν το συμβαινον; μεγαλοψυχίαν εκ ειληφατε; ανδρειαν εκ ειληφατε; καρτερίαν εκ ειληφατε; c. 12. εκ οισδα, ηλικον μερος προς τα ολα; τετο δε κατα το σωμα. ως κατα γε. τον λογον, εδε χειρων των Θεων ετε μικροτερος. λογε γαρ μεγαθος ε μηκοι, ε δ' υψει κρινεται, αλλα δογμασιν. Vide et III. 6. nec non Ant. V. 5.*

**) Vide Diog. VII. 89. Senec. de Ira II. 13. c^o Ep. 92.



cendio pereat, quod pedum usu facile effugere potuisset *).

Quum igitur Stoici ea, quae ceteri philosophi fortunae et corporis bona ac mala, ipsi vero commoda et incommoda appellabant, inter neutra et indifferentia numerarent, praetereaque omnes homines satis virium accepisse crederent, ad summum bonum consequendum, facile ipsis erat, divinam providentiam vel defendere vel excusare. Ex superioribus enim decretis sponte fluebat, quemvis fortunae suae artificem esse, suoque merito sive culpa vel beatum vel miserum esse, quod summa felicitas cum virtute, quam quisque in potestate habeat, misera vero vita cum vitio, quod quisvis vitare possit, semper conjuncta sit.

His suis effatis omnem pietatem vitaeque sanctitatem contineri, tam firmiter sibi persuasum habebant, ut summa confidentia negarent, quenquam

*) *μωρε. χειρας εκ χειρις; εκ εφοισησε σοι αυτας ο θεος; ευχα νυν καθημενος, οπως αι μυσαι σε μη ρεωσιν. απομυσαι μαλλον, και μη εγκαλει. τι εν; ενταυτα σοι εδεν δεδωκεν; ε δεδωκε σοι καρτεριαν; ε δεδωκε σοι μεγαλοψυχιαν; ε δεδωκεν καρτεριαν; τηλικαυτας εχων χειρας, ετι ζητεις τον απομυζοντα;*



quam pium atque adversus Deos gratum esse posse, qui non unum bonum putet, quod honestum sit, eaque, quae vulgus bona appellet, hoc nomine indigna esse judicet. (de Vit. beat. c. 15. Senec. item Epist. 76. 94. 96. *) Hanc enim solam persuasionem hominum animis illud robur addere, quo omnia, quae ipsis accidunt, non patientes tantum, sed volentes etiam iustineant, quod certo sciant, ea quoque, quae aspera videantur, divina lege et consilio accidere, atque ad universi conservationem pertinere. Si quis vero praeter virtutem alia bona, praeter vitium alia mala relinquat; illum non posse non impium atque adversus Deum ingratum esse **). Ejusmodi quippe hominem di-

I i 2

vinae

*) Vide etiam Arr. Diss. I. 27. το συνολον εκεινη μεμνησθαι, οτι εαν μη εν τω αυτω η το συμφερον και το ευσεβες, ε δυναται σαθηναι το ευσεβες εν τινι. Anon. VI. 41. εαν δε μονα τα εφ'ημιν αγαθα και κακα κρινωμεν, εδεμια αιτια καταλειπεται, ετε θεω ευκαλεσαι, ετε προς ανθρωπον εηναι εστιν πολεμιε.

***) Οτι αν των απροαιρετων υποσηση σαυτω αγαθον, η κακον, αναγκη κατα την περιπτωσιν τε τοιετε κκκβ, η την αποφευξιν τε τοιετε αγαθη μεμψασθαι σε θεοις, και ανθρωπου δε μισησαι της αιτιης οντας, η υποπτινομενης εσοσθαι, της αποτευξεως, η της περιπτωσιως. Ant. l. c.



vinae providentiae nunquam non irasci sive indignari, vel quod ea ipsi eveniant, quae tanquam intolerandas calamitates summo semper studio refugerit, vel quod illis careat, atque privetur, quae vel tanquam summa bona, vel tanquam necessaria felicitatis instrumenta ardentissime optaverit. Nullum itaque certius firmatae atque robustae virtutis indicium esse, quam si cui ea placeant, quae Deo placuerunt, si quis porro aequo animo numini pareat, fatumque suum placide sequatur. Illud contra aegri atque a Deo atque natura desciscentis animi evidentissimum signum esse, si quis divinis indignetur, et querens potius et plorans trahi, quam lubens sequi velit *).

Ex

*) Ant. II. §. 16. ὑβρίζει ἐαυτὴν ἢ τὰ ἀνθρώπων ψυχὴν, μάλιστα μὲν ὅταν ὑπόσημα, ἢ οἷον φύμα, τὰ κοσμικὰ, ὅσον εἰς αὐτὰ, γενηται. τὸ γὰρ δυσχεραίνειν τινὶ τῶν γινόμενων, ἀποσχασίς ἐστὶ τῆς φύσεως, ἥς ἐν μέρει, ἕκαστα τῶν λοιπῶν φύσεις περιέχονται. εἰ IV. 29. ἀποσημα κοσμικὰ, ὁ ἀφισαμενός, καὶ χωρίζων ἑαυτὸν τὰ τῆς κοινῆς φύσεως λογικὰ, διὰ τὸ δυσχεραίνειν τοῖς συμβαινέσθαι. ἐκεῖνη γὰρ φέρει τὸτο, ἢ καὶ σὲ πνεύχεν. ἀποσχισμὰ πόλεως ὁ τὴν ἰδίαν ψυχὴν τῆς τῶν λογικῶν ἀποσχίζων μίας ἁπλῆς. Vide etiam VIII. 34. et X. 25, quo ultimo loco divinorum reprehensores fugitivos appellandos esse censet.



Ex haecenus dictis abunde intelligitur, nul-
 los alios Graeciae philosophos homini majorem
 in se ipsum atque fortunam potestatem tribuisse,
 quam Stoicos, quippe qui virtutem atque bea-
 tam vitam in solo hominis animo positam esse,
 et utramque nulla externa vi ipsi invito eripi posse
 statuebant *). Quo magis igitur mirandum est,
 non antiqua tantum aetate, sed nostris etiam
 temporibus homines inventos esse, Zenonis
 atque Chrysippi doctrinae vel adeo ignaros, vel
 ita quoque malignos ejus interpretes, ut viris
 his ceterisque Stoicis monstrum aliquod, quod
 nemo ipsis feliciter debellayerat, fati scilicet

Li. 3.

neces-

*.) Vide in p. sequentia Epicteti de libertate effata:
 I. I. et 6. et 12. IV. I. 2. Ex omnibus vero
 his locis unicum tantum describam: Αλλα τε
 λεγει ο Ζευς; Επικτητε, ει οιοι τε ην, και το
 σωματιον αν σθ, και το κτησειδιον εποιησα
 ελευθερον, και απαρεμποδισον. νυν δε μη σε λατ-
 ρανεται, τειτο. εχ εστι σον, αλλα πληρο κομ-
 ψως πεφυραμενος. επει δε τειτο εχ ηδυναμην,
 εδωκα μιν σοι μερος τι ημετερον, την δυναμην
 ταυτην, την ορητικην τε και αφορητικην,
 και ορητικην τε και εκκλητικην, και απλας
 την χρησικην ταις φαντασιαις, ης επιμελωμε-
 νος, και εν η τα σραυτη τιθεμενος, εδωποτε
 κολυθηση, εδωποτ' εμποδιση, ε εναζεις,
 ε μεμψη, ε κολωκευσις εδενω.



necessitatem obtruderent, qua non solum hominum mentes, libera voluntate spoliatae, devincerentur, verum etiam ipsum numen constringeretur atque raperetur. Quaerebat hoc hominum genus, ut ipsis videbatur, peracute: quid aliud sibi Stoici voluissent, quum in omnibus fere librorum suorum paginis sequentes hasce voces ponerent; omnia fato, id est, certis et antecedentibus causis fieri: universum porro immutabili atque in aeternum dicta lege decurrere: humana denique pariter ac divina irrevocabili cursu vehi. (de Prov. c. 5. Senec.) Haec atque similia Stoicorum dicta ex ipsorum scriptis avulsa ita interpretati sunt, tanquam Stoici credidissent, rerum universitatem non divino consilio, sed coeca quadam necessitate factam esse et gubernari, cui summus ipse Deus pareat atque subjectus sit.

Quodsi vero hi Stoicorum obtrectatores attendere voluissent, quam diligenter isti viri factum a necessitate distinguere soliti sint, quanto porro ardore illos refellerint, qui vel disputandi causa vel quod ita ipsis persuasum erat, necessita-

fita-



sitatem defendebant, quam magnificis denique verbis sapientis libertatem praedicaverint, nunquam profecto ipsis ejusmodi errorem adscripsissent, quo doctae pariter et indoctae multitudinis odium adversus innocentes homines excitari poterat. Retinuerunt quidem Stoici fatum, neque tamen hoc verbo id significarunt, quod multi falso opinati sunt, sed divinam illam legem, qua omnia procedant: et quando itaque fato omnia fieri pronuntiabant, nihil aliud dicere volebant, quam, quaecunque fiant, certis et antecedentibus causis effici, nihilque prorsus sine ejusmodi causis accidere posse *). Fatum vero a necessitate eadem cura, qua ipsa diversa causarum genera distinguebant. Harum nempe (Cic. de fat. 17 - 20.) alias perfectas et principales, alias vero adjuvantes sive antecedentes et proximas ponebant. Et perfectis quidem ea omnia fieri opinabantur, quaecunque ita accidant, ut in nostra potestate non sit, ut aliud aliter eveniat: quibus vero in rebus causis antegressis in nostra

Ii 4

pote-

*) Vide Chryssippi verba apud Gell. VI. 2. nec non Ant. VII. 9. X. 5.



potestate esse, ut aliud aliter eveniat, eae adjuvantibus et proximis causis ipsis effectae esse videbantur. Hac causarum divisione Chrysippus, ejus inventor, id consecutus est, ut omnes illas difficultates effugeret, quibus antiquiores Philosophi, de fato et necessitate differentes, implicati fuerant. Obtinuerant nempe ad illius usque aetatem duae imprimis contrariae veterum sententiae, una eorum, qui omnia ita fato fieri censebant, ut id fatum vim necessitatis afferret, altera eorum, quibus videbantur sine ullo fato esse animorum motus voluntarii: quas opiniones Chrysippus ita conciliare studuit, ut tanquam arbiter honorarius medium feriret. Negabat igitur, quod Epicurus somniaverat, animorum motus sine ullis causis externis excitari, sive eos sine ullo fato voluntarios esse. Non minus vero eorum errorem improbabat, qui omnia necessitate, sive causis principalibus atque perfectis effici statuebant, quibus igitur id tantum fieri posse videbatur, quod aut verum sit, aut futurum sit; (de fat. c. 7.) qui nullos denique animorum motus voluntarios relinquebant, verum contra omnes assensiones vi ac necessitate effici,



effici, neque eas in nostra potestate esse defendebant. (vide Gellium l. c.) His concedebat Chrysippus, omnia non quidem principalibus et perfectis, sed adjuvantibus et proximis causis fieri, et nullos animorum motus et assensiones sine antepositis ejusmodi causis existere posse. hisdem porro largiebatur, has causas proximas et adjuvantes saepe in nostra potestate non esse; neque tamen inde sequi, ut ne appetitus quidem, quaeque appetitum sequantur, assensiones *) in nobis sitae sint. Hanc enim conclusionem in illos tantum valere, qui ita fatum introducant, ut necessitatem adjungant, quique omnia perfectis et principalibus causis ita fieri dicant, ut, cum hae causae non sint in nostra potestate, ne appetitus quidem et assensiones liberae et voluntariae sint. Nihil vero ejusmodi sibi objici posse, qui licet concedat, omnem assensum viso commoveri, et visa saepius in nostra potestate non esse, idem tamen neget, appetitus et assensiones in nobis sitas non esse, eas-

*) Vide Cic. de Fato c. 17. nec non illustr. Hoenium ad Epicteti Enchir. c. 1.



que vi quadam animis nostris extorqueri, quae nullam nobis libertatem relinquat, res externas vel tanquam bona appetendi, vel tanquam mala evitandi. Hanc vero necessitatem Chrysippus propterea ab animis nostris removebat, quod experientia quemvis doceat, omne visum objectum imprimere illud quidem, et quasi signare in animo speciem quandam, sed assensionem tamen, qua res externae animi iudicio inter bona vel mala referantur, semper in nostra potestate esse, et mentem quamvis extrinsecus pulsam suapte vi atque natura moveri *). Ad hanc suam opinionem de appetituum et assensionum natura probandam famosum illud simile a Cylindro vel turbine desumptum (Cic. de fat. c. 18. Gell. VI. 2. **) adducere solebat, quod ta-

men

*) Propterea negat (Chrysippus), oportere ferri audirique homines aut nequam aut ignavos, et nocentes et audaces: qui quum in culpa et maleficio revidi sunt, perfugiunt ad fati necessitatem, tanquam in aliquod fani asylum, et quae pessime fecerunt, ea non suae temeritati, sed fato esse attribuenda dicunt.

**) Sed revertitur ad Cylindrum et ad turbinem suum, quae moveri, nisi pulsa, non possunt: id autem, cum accidit, suapte natura, quod super-



nien ipsius proposito parum respondisse, eique
causae, quam defendebat, magis nocuisse, quam
illam promovisse arbitror.

Hæc

superest, et cylindrum volvi, et versari tur-
binem putat. Ut igitur, inquit, qui protru-
sit cylindrum, dedit ei principium motionis,
volubilitatem autem non dedit: sic vitum ob-
jectum imprimet illud quidem, et quasi signa-
bit in animo suam speciem, sed assensio no-
stra erit in potestate: eaque, quemadmodum
in cylindro dictum est, extrinsecus pulsa,
quod reliquum est, suapte vi et natura mo-
vebitur. — Quamvis vero ex his Ciceronis
verbis satis appareat, quomodo Chrysippus in-
tricatus sit; idem tamen multo magis ex Gellii
loco apparebit, quem propterea apponam:
quanquam ita sit, inquit, ut ratione quadam
principali necessario coacta atque connexa sint
fato omnia; ingenia tamen ipsa mentium no-
strarum proinde sunt fato obnoxia, ut proprie-
tas ipsorum est, et qualitas. Nam si sunt
per naturam primitus salubriter utiliterque
facta; omnem illam vim, quae de fato ex-
trinsecus ingruit, inoffensus tractabilisque
transmittunt. Sin vero sunt aspera et incita
et rudia, nullisque artium bonarum admini-
culis fulta: etiamsi parvo sive nullo fatalis
incommodi conflictu urgeantur; sua tamen
saevitate et voluntario imperu in assidua de-
lecta et errores ruunt. Idque ipsum ut ea ra-
tione fiat, naturalis illa, et necessaria rerum
consequentia efficit, quae fatum vocatur. Est
enim genere ipso quasi fatale et conlequens,
ut mala ingenia peccatis et erroribus non va-
cent.



Haec fere argumentationum summa est, quibus Chrysippus motus animorum liberos et voluntarios esse probare eosque refellere studebat, qui omnia causis aeternis atque immutabilibus ita fieri putabant, ut nihil secus cadere possit, atque casurum sit. Ex his vero Chrysippearum disputationum reliquiis satis patere existimo, illum in hac de fato quaestione primum verum vidisse, eamque viam ingressum esse, quam omnes post illum maximi nominis philosophi tenuerunt. Licet vero vir ingeniosissimus teste Cicero (c. 17.) ad eos se potius applicaverit, qui necessitate motus animos liberatos volebant; imprudens tamen, uti idem scriptor observavit, in eas difficultates delapsus est, ut *invitus necessitatem*

cent. Hujus deinde rei exemplo non hercle nimis aliene, neque illepide utitur. Sicuti, inquit, lapidem cylindrum si per spatia terrae prona atque deruta jacias, causam quidem ei et initium praecipitantiae feceris; mox tamen ille praecipit volvitur, non quia tu id jam facis, sed quoniam ita sese modus ejus et volubilitas habet: sic ordo, et ratio, et necessitas fati genera ipsa et principia causarum movet; imperus vero consiliorum mentiumque nostrarum, actionesque ipsas voluntas cujusque propria, et animorum ingenia moderantur.



tatem fati confirmaret *), (vide Plut. X. 344. 62.) quod eo magis ipsi ignoscendum est, quum post Chrysiippum nemo tam prudens tamque circumspectus ejus opinionis defensor exstiterit, quin saepius ipsum illum errorem, quem refutare sibi proposuerat, confirmasse, atque veritatem prodidisse videretur.

Quantum vero Stoici ab illorum insania abfuerint, qui ipsum Deum necessitati cuidam parere opinati sunt, ex illis imprimis Senecae testi-

*) Ejusmodi dicta, quibus necessitatem fati confirmare videbatur, ea sunt, quae Plutarchus nobis ex Chrysiippi libris servavit: (p. 344. de St. repug.) Πότερον (φησιν) αμελεζομένων τινων, καθάπερ εν οικίαις μείζοσι παραπιπτεσ τινα πιτυρα, των όλων εν οικονομηζομένων. η δια το καθίστασθαι επι των τοιχων δαιμονια Φαυλα, εν οίς τω οντι γινονται και εγκληται αμελειαι; φησι δε πολυ και της αναγκης μεμιχθαι. ει p. 362. τέλος δε φησι μηδεν ισχεσθαι, μηδε κινεισθαι, μηδε τχ λαχιστον, αλλως, η κατα τον τχ Διος λογον. ον τη ειμαρμένη τον αυτον είναι. επι τοιουν το μεν καταρκτικον αιτιον ασθενεστερον εις τχ αυτατελες, και εκ εξικνειται κραταμενον υπ' αλλων εξαπιστευμένων. την δ' ειμαρμένην αιτιαν ανικητον και ακωλυτον και απροπτον αποφαινων, αυτος απροπον καλει και αδρασειαν, και αναγκην και πειραμεινη, ως περας απασιν επιτιθεισιν.



testimoniis intelligitur, quibus apud suspiciosos et irritabiles animos maximam sibi suisque invidiam suscitavit. Eodem enim loco, quo vir luxuriantis ingenii dixerat, eadem fata, quae nos ducant, Deos quoque (id est sidera) alligare, has voces tanquam oracula fundit: illum ipsum omnium conditorem ac rectorem scripssisse quidem fata, sed sequi, eundemque semel iussisse, quibus ipse semper pareat. Alibi vero exclamat: (Nat. Quaest. praef. et de Benef. VI. 23.) Deum suam ipsum necessitatem esse, Deosque non externa cogere, sed suam illis in legem aeternam voluntatem esse *).

Omnia vero haec Stoicorum de rebus divinis effata cuivis persuadere debuerunt, illorum industria utilissimae philosophiae parti non pau-

*) Eodem loco Seneca ita pergit: Statuerunt, quae non mutarent. Itaque non possunt videri facturi aliquid, quamvis nolint: quia quidquid desinere non possunt, perseverare voluerunt: nec unquam primi consilii Deos poenitet. Sine dubio stare illis et desciscere in contrarium non licet: sed non ideo, quia vis sua illos in proposito tenet, nec imbecillitate permanent: sed quia non licet ab optimis aberrare, et sic ire decretum est.



paucas accessiones factas esse. Ne vero in exponendis eorum placitis fidelis historici officium deseruisse, et ea tantum enarrasse videar, quae a prudentibus viris laudari possint; illa etiam breviter perstringam, in quibus vel graviter peccarunt, vel antiquos etiam philosophos sine causa reliquerunt.

Et primum quidem Stoicos in definienda Dei natura sive substantia a Platone atque Aristotele tantopere recessisse invenio, ut contrariam prorsus opinionem defenderent. Quod enim sibi persuasum habebant, nil nisi corpus agere ac pati posse, et corpora pro solis rebus haberi oportere, de quibus dici possit, illas vere esse atque existere: (Cic. Acad. Quaest. I. II. Diog. VII. 56. Senec. Epist. 106. Plat. X. p. 426. *) non poterant non pronuntiare, Deum quoque corpus esse, et partium multitudine constare. Hanc vero corpoream Dei naturam non e pluribus dissimilibus et genere diversis elementis compositam, sed puram atque simplicem esse

*) οὐτα γὰρ μοιὰ τὰ σῆματα καλῶσι.



esse volebant, eamque idcirco vel ignem appellabant, vel ardorem, vel Aethera atque calorem, vel spiritum denique quendam animale, omnia permeantem, ac tranantem, sensus et rationis participem, eundemque omnis vitae, sensus et rationis unicum fontem atque principium. (Cic. Acad. Quaest. I. II. IV. 41. de Finib. IV. 5. de Nat. Deor. II. 8-11. et 15. III. 14.) Rationem vero, quare Deum sibi tanquam divinum aliquod corpus finxerunt, solus Cicero ex Stoicorum scriptis conservavit. (de Nat. Deor. II. 9.) Observasse enim sibi videbantur, omnia, quae alantur et crescant, continere in se vim caloris, huiusque temperatione oriri et auferere: eo vero refrigerato occidere atque extinguere: omne praeterea, quod vivat, sive animal sive terra editum, id vivere propter inclusum in eo calorem: nullam denique naturam, neque humidam, neque terrenam, neque spirabilem inveniri, quae omnis caloris experta, cuive non calor admittitur sit. Hinc jure se concludere arbitrabantur, cum omnes mundi partes sustineantur calore, mundum etiam ipsum simili parique natura in tanta diuturnitate fervari.



vari. Hunc vero corporeum atque divinum calorem illius ignis valde dissimilem esse judicabant, quem ad usum atque victum homines adhibeant, (ib. c. 15.) quippe qui confector sit et consumptor omnium, idemque, quocunque invaserit, cuncta disturbet atque dissipet, quum ille contra, quem corporibus inclusum existimabant, vitalis et salutaris sit, omniaque conservet, alat, augeat, sustineat, sensuque afficiat.

Negabant vero Stoici, divinum hunc ignem sive ardorem per univrsam mundum pertinentem ubique in omni rerum genere eadem vi atque efficacia sese ostendere, et idcirco pro diversis ejus effectibus diversas quoque illius virtutes sive species distinguebant, easque diversis nominibus insigniebant. (Diog. VII. 138. Sext. IX. 81.) Primam igitur divinae naturae vel partem vel virtutem $\PsiΙΔΗΝ ΕΞΙΝ$, vel $ΕΚΤΙΚΗΝ ΔΥΝΑΜΙΝ$ appellabant, eamque tanquam vim quandam spirabilem, sive spiritum quendam explicabant, quo corpora continentur, eorumque partes uno quasi vinculo

Kk

copu-



copulentur. (Cic. II. de Nat. Deor. 33. Sext. IX. 81. Diog. VII 139. Anton. VI. 14. et ibi Gat. Arrian. I. 9. Salmast. ad Simpl. p. 303. et ibi Themistiun *). Huic sententiae convenienter pronuntiabant, spiritum corpora formare, et omnium qualitatum parentem esse, ipsaque corporum proprietates et habitus (ἐξεις) pro auri sive spiritibus quibusdam haberi oportere. (Plut. X. p. 353. 54. **)

A

*) Δεξι ἀλλ' ἐπεὶ τῶν ἠνωμένων σωματῶν τὰ μὲν ὑπὸ ψιλῆς ἐξέως συνεχεται, τὰ δὲ ὑπὸ φύσεως, τὰ δὲ ὑπὸ ψυχῆς· καὶ ἐξέως μὲν, ὡς λίθοι, καὶ ξυλά· φύσεώς δὲ, καθάπερ τὰ φυτὰ· ψυχῆς δὲ, τὰ ζῶα.

Diog. εἰς ἅπαν λυτὰ διηκόντος τῆς γῆς, καθάπερ ἐφ' ἡμῖν, τῆς ψυχῆς. ἀλλ' ἤδη δι' ὧν μὲν μακρόν, δι' ὧν δὲ ἥττον. δι' ὧν μὲν γὰρ ὡς ἐξέως πεχωρήκειν, ὡς διὰ τῶν ὀσῶν καὶ τῶν νευρῶν.

Anton. τὰ πλεῖστα, ὧν ἡ πλειοῦς θαυμάζει, εἰς γενικωτάτα ἀναγέται, τὰ ὑπὸ ἐξέως ἢ φύσεως συνεχόμενα, λίθος, ξυλά, συκάς, ἀμπέλως, ἐλαίας.

Themist. ταχὰ δὲ καὶ τοῖς ἀπὸ Ζηνῶνος ὑμῶνος ἢ δοξᾶ, διὰ πικρῆς ἔστις πεφοιτηκέναι τοῦ θεοῦ τιθεμένοις, καὶ πᾶ μὲν εἶναι γῆν, πᾶ δὲ ψυχὴν, πᾶ δὲ φύσιν, πᾶ δὲ ἐξίν.

**) ταῦτα τιθεῖς (ὁ χρυσοππος) ἐν τῶ πρώτῳ τῶν φυσικῶν ζητημάτων, πάλιν ἐν τοῖς περὶ ἐξέως μὲν ἀλλὰ τὰς ἐξέως, πλὴν αέρας, εἶναι φησὶν. ὑπὸ τῶν γὰρ συνεχεται τὰ σωματὰ. καὶ τῆ

πρῶτον



A prima vero illa divinae substantiae virtute, qua omnia corpora in suo statu manere atque contineri putabant, aliam iterum *Φυσεως* nomine distinguebant, quae diversa herbarum, stirpium atque arborum genera pervadat, cujusque vi omnia, quae terra concipiat, semina oriantur, atque aucescant *). Tertiam divini ignis virtutem animalem quandam intelligentiam appellabant, qua animantia non solum gignantur, et moveantur, verum etiam sentiant atque appetant, et ex sese similia sui generent **) : His denique virtutibus quartam,

Kk z

men.

ποιον ἕκαστον εἶναι τῶν ἐξεί συνεχόμενων αἰτίος ὁ συνεχῶν ἀφρέσιν — καίτοι πανταχῶς τὴν ὑλὴν ἀργὸν ἐξ ἑαυτῆς καὶ ἀκινήτου ὑποκεισθαι ταῖς ποιοτήσιν ἀποφαίνεσι, τὰς δὲ ποιοτήτας πνεύματα· ἔς δὲ καὶ τὸν αἰθέρα, οἷς ἀν' ἐγγύωνται μερῶσι τῆς ὑλῆς, εἶδο ποιεῖν ἕκαστα καὶ σχηματίζουσιν.

*) Praeter adducta loca, quibus *Φυσις* vocabulum rariori sensu occurrat, haec quoque Antonini verba lectores poterit velim: X. 33. τῶ μὲν ἐν κύλινδρῳ ἔ πανταχῶς διδοται φερεσθαι τῆς ἰδίας κινήσιν, ἔδε τῷ ὕδατι, ἔδε πυρὶ, ἔδε τοῖς ἀλλοῖς, ἔσα ὑπο Φυσεως ἢ ψυχῆς ἀλογῶ διοικεῖται. Longe usitatiorē hujus verbi significationem statim indicabo.

**) τὰ δὲ ὑπο τῶν ὀλίγων μετριωτέρων, εἰς τὰ ὑπο ψυχῆς, οἷοι ποίμνιάς, ἀγέλας. Ant. l. c.

Ex



mentem nempe sive consilium (ἄνθρ sive λογόν) adieiebant, qui totius saepe mundi principatus a Stoicis appellatur. (Diog. IX. 139 *) Cic. de Nat. Deor. II. 11.) De hujus divini ardoris particulari fede atque natura Stoicorum principes valde inter se discrepabant. Alii enim hunc mundi principatum purissimum et mobilissimum Aethera, alii vero nobilissimam Aetheris partem esse ac nominari volebant. Eodem modo

pars

Ex hac animalis intelligentiae definitione illud Stoicorum decretum defluxit, omnes omnium animantium animas e divina substantia haustas esse. Nihil vero puerile magis atque primariis ipsorum decretis repugnans excogitari posse puto, quam quae Stoici de animarum origine, atque rerum sensus expertium in vera animantia conversione garriverunt, quaeque Plutarchus merito exagitavit. (de Stoic. reptig. 380 p. adv. Stoicos p. 462. Ed. Reiskii Oper. Tom. X.) Statuebant nimirum, non bestiarum tantum, verum etiam hominum foetus, quamdiu in matris utero delitescant, plantae instar crescere, omnique sensu orbatos esse: eosdem vero, simulatque in lucem editi sint, aere refrigeratos in animantium genus transire, vimque igitur vitalem, quae sola hactenus praediti fuerant, in animam sensus competentem transmutari.

*) δι' ἂν δε ὡς ἄνθρ, ὡς δια τῆς ἡγεμονικῆς. ἔτο δὴ καὶ τὸν ὅλον κόσμον ζῶον οὖτα καὶ ἐμψυχον καὶ λογικον, εἶχειν ἡγεμονικον μὲν τὸν Αἰθέρα εἰς.



pars illum ultimas atque altissimas mundi regiones, occupare contendebat, Cleanthes contra eidem sedem ac domicilium in sole assignabat. (Diog. VII. 139.) In eo vero omnes consentiebant, hoc *ἡγεμονικόν* rerum universitatem simili modo ducere atque gubernare, quo mens humana corpus humanum contineat et administret, (Diog. ib. et Plut. advers. Stoicos. X. p. 440.) idque praeterea solum omnis rationis, omniumque animarum ratione praeditarum fontem atque parentem esse. Ob hanc divinam animorum nostrorum originem Stoici homines Dei socios atque filios, et magni ejus corporis membra, mentes vero nostras divinae aurae scintillulas, sive divinae naturae partes, imo Deos, sive daemonas, atque coelestes custodes, hominibus assignatos, appellarunt. (Senec. Ep. 41. 66. 94. 95. Arrian. I. 9. et 14. Ant. II. 1. et VI. 14.) Sicuti vero hominum animos ex divino Aethere haustos esse putarunt, ita quoque eosdem post corporum interitum igneae naturae elementis ita remixtum iri crediderunt, ut nullus post mortem sensus, nullaque vitae ante actae memoria relinqueretur.



Ad sidera quod attinet, Stoici maximae veterum philosophorum parti accesserunt, qui his corporibus coelestibus divinitatem tribuerant. Rationes vero, quare astra pro Diis haberent, imprimis hae erant: quod ea tota calida et perlucida, atque e mobilissima et purissima Aetheris parte effecta sint, eumque locum obtineant, qui semper agitetur et vigeat. Ne opus quidem esse existimo, monere, Stoicos tam errantes, quam fixas stellas pro magnis animantibus habuisse, quae acerrimo sensu et praestantissima intelligentia praedita sint. (vide Cicer. de Deor. nat. II. 15. 16. 21.)

Hanc vero animi divini continuam ac perpetuam fusionem, qua omnia corpora continentur, stirpes orientur et augeantur, animalia denique et hominum Deorumque genera moventur, sentiant atque intelligant, non Deum tantum, sive Jovem appellabant, sed multis aliis vocabulis significabant, (vide Sen. ad Helviam c. 8. de Benef. IV. 7. 8.) Pro augusto enim Dei nomine modo legis naturalis, vel rationis per omnem rerum naturam pertinentis,

(de



(de Nat. Deor. I. 14. II. de Leg. 14.) modo providentiae et fati denique mundi et naturae voces promiscue et sine discrimine ponere solebant. (Plut. de Stoic. repug. p. 340. X. Diog. VII. 138.) Inter omnes vero has appellationes, quibus summum numen designabant, nulla ipsis solennior fuit, atque crebrius in ipsorum libris occurrit, quam naturae vocabulum, quam tanquam ignem artificiosum explicabant, ad gignendum progredientem via, declarantemque, quid cujusque rei causa efficiat, et quid sequatur. (Diog. VII. 156. *) Cic. de Nat. Deor. II. 22. 32.) Hujus naturae vim et efficaciam iisdem verbis, quibus Jovis sive summi Dei virtutes et opera extollebant. Aiebant igitur, eam continere omnem mundum, atque tueri, et id quidem non sine sensu et ratione: illamque praeterea non solum artificiosam esse, verum plane artificem, consultricem, et providam utilitatum opportunitatumque

Kk 4

omni-

*) δοκει δε αυτοις την μεν φυσιν ειναι πυρ τεχνικον, οδω βαδιζον εις γνεσιν, οπερ εστι πνευμα και ροειδες και τεχνοειδης.



omnium, ejusque solertiam nullam artem, nullam manum, nullum opificem imitando consequi posse.

Ex haecenus enarratis Stoicorum placitis ratio facile reddi potest, quare Platonis instar, sed disciplinae suae multo convenientius, mundum animal esse pronuntiarunt, perfecta ratione, sive summa virtute et sapientia praeditum. (Sext. IX. 102 - 104. Diog. VII. 138. 139 de Nat. Deor. Cic. II. 8. 14 etc. 24.) Quum enim materiam, a Deo qualitatibus instructam formisque indutam, tanquam unum et continuum corpus sibi cogitarent, per quod divinus spiritus intentus sit; necesse ipsis erat, mundum optimum et perfectissimum animal appellare. Idem vero decretorum suorum non satis memores fuisse videntur, quando mundo non solum divinitatem largiebantur, verum ipsum quoque Deum nominabant, ejusque vocabulum pro Dei nomine ponebant (vide Diog. VII. 138. 139. Arr. I. 16.) Quemvis enim videre existimo, tunc illos opus cum opifice, dominum vel habitatorem cum domicilio, et principem cum civitate confudisse.

Multo



Multo melius sibi constabant Stoici, quando Deum atque naturam omnium rerum, quae gignantur, femina vel rationes feminales (λογος σπερματικος) in sese continere, sive totius universi rationem feminalem esse dicebant. (Diog. VII. 136. 148. *) de Nat. Deor. Cic. I. 33. Sen. Epist. 73. 90.) Aliter enim ipsi statuere non poterant, quum non solum homines ceteraque animalia vi divina sentire et intelligere, verum eadem quoque stirpes generari atque augeri, imo ipsa corpora inanima contineri defenderent. Natura itaque ipsis fecunda quasi et gravida mater videbatur, e cujus sinu vitalis calor, et sentiendi atque intelligendi vires nullo non tempore per omnes mundi immensitates effunderentur.

Nullibi vero Stoici turpius sibi ipsi contradixerunt, quam in illo philosophiae loco, quo

K k 5

mun-

*) οὕτω καὶ τῆτον (τον Δία) σπερματικὸν λόγον οὐ-
τα τὸ κόσμῳ. — ἐστὶ δὲ φύσις, ἐξ ἧς ἐξ αὐτῆς
κινημένη κατὰ σπερματικῆς λογῆς, ἀποτελεσά-
τε καὶ συνεχῶς τὰ ἐξ αὐτῆς ἐν ἠγισμένοις
χρόνοις. —



mundi originem explicare conati sunt: Postquam enim tanquam primaria totius suae de Deo et mundo disputationis capita has sententias posuissent: ab infinito tempore nudam quandam et inertem materiam existisse, a Deo diversam, omnium formarum et qualitatum expertem, ad quasvis vero recipiendas aptam et habilem, deumque ex rudi hac et informi natura pulcherrimum mundum, communem deorum hominumque civitatem condidisse; subito in longe alia transibant, tamque puerilia atque cum reliquis decretis suis adeo pugnancia proferebant, ut ea potius pro violentorum somniis, quam pro hominum dialecticae artis mysteriis inisiatorum ratiocinationibus habere queas. Saepius enim ita loquuntur, tanquam ipsis persuasum fuisset, Deum, qui ab omni aeternitate solitarius existit, omnem materiam e suo ipsius sinu educitam in hunc mundum transformasse, vel divinam etiam substantiam pluribus refrigerationis et condensationis gradibus ex ignea natura in aeream, ex aerea in humidam transfigurata esse, atque ex hac denique quatuor elementa, ceterasque res omnes existisse. (Diog.



VII. S. 137. Plut. X. p. 351 *). Nisi enim haec illorum opinio fuit; plane nescio, quid istis locis significare voluerunt, ubi mundi interitum et renovationem, Jovisque mundi ruinis incubantem descripserunt. Aiebant nempe, (Plut. l. c. p. 351. 395. 440. **) post fatale Deorum hominumque urbis incendium omnem, quae relinquitur, naturam igneam, ac suum ipsius animum et principatum esse, siquidem solus Jupiter mundi superstes, integer et inviolatus in se ipsum recedat, atque reliqua materia in suam naturam conversa res quoque inanimas vitae quodammodo et sensus participes reddat.

Quam-

*) λέγει δε (Chrysippus) εν τω πρώτῳ περὶ προνοίας. Διὸς μὲν γάρ ἐστιν ὁ κόσμος πυρρῆις, εὐψυχὸς καὶ ψυχὴ ἐστὶν ἐαυτῆς καὶ ἡγεμονικόν. ὅτε δὲ μεταβαλλῶν εἰς τὸ ὑγρὸν καὶ τὴν ἐνα πολεῖσθαισάν ψυχὴν, τρεῖτον τινὰ εἰς σῶμα καὶ ψυχὴν μεταβαλλῶν, ὡσπερ συνεχῆσαι ἐκ τετῶν, ἄλλο τινὰ εἶχε λόγον. — ἐνταῦθα δὴ πῶς (adjicit Plutarchus) σαφῶς τῇ μὲν ἐκπυρρῶσει καὶ τῇ ἀψυχῶσι τῶν κόσμων φησὶν εἰς τὸ ἐμψυχῶν τρεῖσθαι; τῇ δὲ σβεσθῆναι καὶ τὴν ψυχὴν ἀνεσθῆναι καὶ ἀνυγρῶσθαι, μεταβαλλῶσάν εἰς τὸ σωματοειδές.

**) Ὅταν ἂν ἐκπυρρῶσις γένηται, μόνον ἀφθάρτων ὄντων τὸν Διὸς τῶν θεῶν ἀναχωρεῖν ἐπὶ τὴν προνοίαν, εἶτα ὅμῃ γενομένων ἐπὶ μίᾳς τῆς τῆς αἰθέρος ὕψια διατελεῖν ἀμφοτέρω.



Quando vero Deus iterum sibi ac futurae suae progeniei novum domicilium exstruere, atque exornare destinaverit, tum igneam ipsius substantiam crassiorem et humidam fieri, atque voluntario motu, et propria potestate e subtilissimo Aethere in densius ac solidius corpus transmutari. Ex his Stoicorum effatis nihil aliud concludi potest, quam Deum alternis vicibus mundum modo ex se ipsoeducere, modo vero in se ipsum retrahere, et primum quidem tum fieri sole- re, quando Deus ex ignea natura in crassius aliquod elementum transeat, alterum vero, quando ce- tera rerum principia in igneam rursus naturam convertantur.

Ne hic quidem consistebat Stoicorum in- constantia, si Diogenem sequi volumus, (VII. 136. 42. *) e cujus verbis intelligi videtur, illos nonnunquam aeternam materiam, e qua omnia condita sint, non informem omniumque qua-

*) κατ' αρχάς μὲν ἔν καὶ αὐτὸν οὐτὰ ἄρα τρεπεῖν τὴν πᾶσαν ἔσσαν δι' αἰετός εἰς ὑδωρ. — γίνεσθαι τε τὸν κόσμον, ὅταν ἐκ πυρός ἢ ἔσσια τρεπῆ δι' αἰετός εἰς ὑγροτήτα.



qualitatum expertem, sed igneam quandam atque a Deo diversam substantiam credidisse, quæ primum in aeream quandam naturam, tum vero in aliam humidam transmutata sit, e qua denique omnia corporum genera exsisterint. — Omnes has repugnantias Stoici effugissent, si informem materiam primum a Deo in igneam naturam conversam, atque ex hac cetera rerum elementa omnemque mundi ornatum effectum fuisse pronuntiaissent. Hujus vero opinionis, qua nihil ipsorum philosophiæ magis consentaneum esse poterat, nullum vestigium in Stoicorum monumentis reperio.



SECTIO NONA.

Quae Epicuri de Deorum natura opiniones complectitur.

In fine jam laborante hoc opere nostro, pauca tantum adjungam, quae ad illustrandam Epicuri de Deorum naturam sententiam pertinere arbitror. Quam vero hujus viri somnia atque repugnantias alio loco copiosius demonstraverim; (vide meine vermisste philosophische Schriften Vol. II. p. 45 et sq.) praecipua tantum loca, e quibus nostrum de Epicuri argumentationibus iudicium intelligi potest, breviter repetam, ne illi lectores, in quorum manus ista commentatio nondum pervenit, et nunquam forsitan perventura est, in hoc labore aliquid merito desiderant: Quodsi igitur ea, quae Epicurus de divi-

nis



nis naturis pronuntiavit, inter se atque cum ceteris ipsius philosophiae partibus comparamus; non possumus non Posidonii aliorumque sententiae accedere; qui Gorgettium senem verbis quidem Deos reliquisse, re vero omne Deorum numen sustulisse iudicarunt. (Cic. de Nat. Deor. I. 44. Sext. IX. 58.) Epicurus nimirum non solum Deorum opera in condendo mundo se uti negavit, verum etiam omni, quo potuit, studio Deos ab hujus mundi administratione removit, in quos impios errores tres potissimum falsae opiniones illum praecipitasse videntur. Primum enim Epicurus mundi hujus molem tantam tamque imensam esse existimavit, ut illam ne divina quidem vi moveri atque in ordinem redigi potuisse putaret. (Lucr. de Rer. Nat. II. 1089. *) Cic. I. 20. de Nat. Deor.) Idem vero nego-

-
- *) Quae bene cognita si teneas: natura videtur
libera continuo dominis privata superbis —
Quis regere immensi summam, quis habere
profundi
inde manu validas potis est moderanter habenas?
Quis pariter coelos omnes convertere? et
omnes
ignibus aetheriis terras suffire feraces?
omnibus inque locis esse omni tempore praesto?



negotium vel munus, cui Deus ipsi impar videbatur, vel in potentio-rem casum, et temeritatem, vel etiam in fortunam sive necessitatem, vel in creatricem quandam, licet sensu et intelligentia orbatam, naturam transferre ausus est: neque illum puduit, hanc coecam naturam in illo potentiae et dignitatis gradu collocare, unde Deum dejicere annisus erat. (Lucr. l. 623. Cic. l. c.) Hanc Deorum hominumque reginam et dominam tantopere veneratus est, ut sola illius vi, et aeternis, quibus eadem rerum primordia agitaverit, motibus immensam atomorum in infinito inani volitantium multitudinem cohaesisse, et ex harum denique fortuitis concursibus omnia, quae sint, quaeque fuerint, sine Deorum follibus atque incudibus effecta esse censeret. Praeterquam vero quod mundi aedificatio tantum ipsi opus esse videbatur, ut cuiusque Dei vires superaret; universum etiam tot tanque insignibus vitiis laborare opinabatur, ut nefas esse duceret, tam imperfectam opificium deo cuidam assignare. Ut hanc itaque magistri sui sententiam confirmaret

Lucre-



Lucretiſ, (V. 200 *) etc. omnium Epicureo-
rum tam eloquentia quam ingenii acumine fa-
cile princeps, nullum non miſeriarum et in-
commodorum atque vitiorum genus, quod in
his terrarum orbis anguſtiis deprehenditur,
tam curioſa diligentia conquiſivit, tamque in-
vidioſa facundia expoſuit atque auxit, ut vere
dici poſſit, pleroſque numinis hoſtes, qui ſe-
quentibus aetatibus divinam providentiam ob
ingentem malorum vim, qua mortalium vita
opprimitur, accuſarunt, ab ipſo Lucretio vel
excitatoſ vel armatoſ atque inſtructoſ fuiſſe.

Tandem vero Epicurus negabat, ullam ſe
ſcire irrationem, quare Deus tam ſubito mun-
dum condidiſſet, tantumve laborem vel ſui ipſius,
vel hominum etiam cauſa ſuſcipere voluiſſet.
Quem enim cogitare poſſe (Cic. de Nat. Deor. I.
8. 9.) Deum oblectationis cauſa novam ſibi do-
mum

*) Quod ſi jam rerum ignorem primordia quae ſint
hoc tamen ex ipſis coeli rationibus auſim
confirmare, aliisque ex rebus reddere multis,
nequaquam nobis divinitus eſſe paratam
naturam rerum, tanta ſtat praedita culpa etc.



mum ornare voluisse, ne amplius in tenebris
 tanquam in gurgustio habitaret. Sibi nihil in-
 credibilius videri, quam Deo istiusmodi oble-
 ctationem esse: et si qua esset, non intelligere,
 quare Deus illa tam diu caruisset. Neque hoc
 etiam fingi posse, Deum hominum causa haec
 omnia constituisse, siquidem operae pretium
 non fuerit, ob paucos sapientes tantos rerum
 ornatus instruere, neque etiam ulla probabilis
 ratio offerri possit, quare numen de improbis
 bene mereri voluerit, qui stultitia sua miserrimi
 divinis beneficiis ne uti quidem sciant.

Non tantum vero illos vituperabat Epicu-
 rus, qui mundum a deo quodam conditum esse
 ex pulcherrimo illius ornatu, aptaque re-
 rum omnium descriptione suspicabantur, ve-
 rum eos quoque pluribus frivolis quaestioni-
 bus et conclusiunculis aggrediebatur, qui re-
 rum universitatem a praestanti aliqua et excellenti
 natura moveri, regi, et gubernari volebant.
 Pronuntiabat primum, beatam vitam in animi
 securitate, et in omni vacatione munerum po-
 sitam,



litam, et nisi quietum nihil etiam beatum esse posse, et hinc concludebat, ejusmodi Deum, qui cursus astrorum, temporum mutationes, rerumque vicissitudines et ordines conservet, terrasque et maria contemplans hominum commoda vitasque tueatur, miserrimum simul et laboriosissimum esse oportere. (Cic. de Nat. Deor.)

L. 20. Inter selectas porro et breves Epicuri sententias haec primum locum obtinebat: quod beatum et immortale est, illud nec habet nec exhibet cuiquam negotium; (L. 30. l. c.) et huic itaque decreto congruenter affirmabat, divinam naturam neque ira, neque gratia tangi posse. Quum enim ab hominum genere ad Deos immortales nulla neque commoda neque incommoda pervenire possint, nullam quoque idcirco causam esse, quare Dii rerum humanarum curam suscipere vellent. Mirandum vero non est, Epicurum Deos vel ita feriatos sibi cogitasse ut nihil prorsus agerent, vel ita quoque utilitatibus et voluptatibus suis deditos, ut eos non nisi lucri et commodorum spe ex torpore suo excitari posse crederet, quandoquidem idem sibi persuasum habebat, ne homines quidem,



nisi imbecilli essent, futuros benignos et beneficos fuisse. (de Nat. Deor. I. 44.)

Nullum vero aliud magistri sui meritum Epicurei tantopere verbis extollere solebant, nullamque aliam ob causam ipsius nomen atque memoriam sese venerari profitebantur, quam quod ipsorum animos a Deorum metu, et superstitionibus liberasset, et superbis ac sempiternis dominis a suis cervicibus depulsis in plenam ipsos libertatem vindicasset. (Cic. I. 16. 20 de Nat. Deor. Diog. X. 81. 82. Lucr. I. init.) Quem enim non sollicitam et miseram vitam victurum fuisse, si Deum semper omnia providentem et cogitantem, et animadvertentem et omnia ad se pertinere putantem, curiosum denique et plenum negotii sibi imminentem cuius timendum fecisset? Audacter itaque affirmabant Epicurei, illum, quem ipsi sequantur veritatis inventorem, ob egregiam ab ipsis Diis eorumque religionibus reportatam victoriam divinis honoribus prosequendum, et in Deorum, quos ipse debellasset, numero habendum esse, neque dubitabant Epicurum Herculi aliisque antiquis viris, qui ob fortia sua
facta



facta Diis immortalibus adscripti essent, longe anteponere, quod hi tantum belluas ferosque homines perdomuissent, ille vero egregiis suis inventis superstitionum monstra extinxisset, ipsasque Deorum minas et iras vel contemnere, vel coercere docuisset.

Nullum itaque dubium habet, quin Epicurus divinam mentem tam a mundi aedificatione quam ab ipsius administratione semoverit, et utroque negotio sive fortunae, sive naturae cuidam sine sensu tradito nullum magnum atque praeclarum opus habuerit atque reliquerit, e quo divinas naturas esse, efficere potuisset. Neque tamen propterea Deos vel omnino sustulit, vel sustulisse videri voluit. Quin potius plura eaque non prorsus pervulgata argumenta proferre solebat, quibus Deos existere demonstraret. Enarrabat porro eorum formas atque virtutes, nec non vitae rationem et domicilia, eosque ob praestantem eorum naturam pie ac caste colendos esse praecipiebat. Ipse Cicero testatur, (I. 41. de Nat. Deor.) Epicurum totos libros de Sanctitate et Pietate adversus Deos scri-



psisse, et in iis ita locutum esse ut Coruncianum aut Scaevolam te audire diceres. Ex his omnibus saepius non sine aliqua verisimilitudine conclusum esse scio, Epicurum errasse quidem, quod in condendo et administrando mundo Deo nullas partes tribuerit, neque tamen illum inter nefarios istos et impios homines, qui omne numen sustulerint, referri oportere, quum tanta diligentia de Deorum natura scripserit, eorumque templa pia ac casta mente frequentaverit. Quod vero Epicurus non tantum detestandae invidiae causa Deos se colere professus sit, verum sine ulla simulatione veram animi sui de Deorum natura sententiam proposuerit, satis exinde apparere, quod vulgi opiniones pro impiis et divina maiestate indignis erroribus declaraverit, simulque mundum neque a Deo effectum esse, neque ab ipso administrari aperte testatus sit: quorum neutrum certe fecisset, si aliud pectore premere, aliud vero ore profiteri voluisset. Urgent denique Epicuri defensores, ne ex manifestis quidem viri huius repugnantibus concludi posse, illum omnes de Deorum natura enuntiationes, quae primariis
ipsum



ipſius decretis conſentaneae non ſint, plebeculae tantum fallendae cauſa propinſſe, neque pro veris habuiſſe. Quem enim ignorare, neminem Epicuro crebrius ſibi ipſum contradixiſſe et neminem quoque propterea gravioreſ poenae dediſſe. (Cic. de Nat. Deor. I. 25. et de Fato c. 20.)

Non negaverim quidem hanc argumentandi rationem, qua Epicurus a ſummae impietatis ſuſpicionem liberatur, illis praefertim probabilem viſum iri, qui hoc ſibi in memoriam revocant, Democritum etiam, quem Epicurus unice ſere ſequebatur, ſummum aliquem mundi conditorem et rectorem ignoraviſſe, unaque fictarum imaginum ſuperſtitioſum cultorem exſitiſſe. Neque tamen dubito multa lectoribus ſponte occuſura eſſe, quare vix ſibi perſuadere poſſent, Epicurum in exponendis ſuis de Diis opinionibus ſincere verſatum eſſe, neque ejuſmodi effata, quae ipſi falſa videbantur, ſimulato ſtudio defendiſſe. Inter quae argumenta illud mihi rem totam conficere videtur, quod nihil ſere de Deorum natura, formis, virtutibus, vitae ratione et ſedibus protulit, quod non cum univerſa ipſius reliqua philoſophia



pugnet, vel quod non ipse quoque illis argumentis probare annitatur, quae omnibus aliis locis tanquam nugas et aniles superstitiones ipse respuere solebat. Jam vero prorsus incredibile est, illum omnes has repugnantias, et in rationibus concludendis hallucinationes, non sensisse et intellexisse, quum Stoici ceterique ejus adversarii in convellendis aegris his ipsius philosophiae partibus operam suam inprimis collocarint.

Sola ipsius deorum descriptio sufficere potest, ad hanc suspicionem cuivis movendam, illum Democriti somnia nullo alio fine ad vulgi superstitiones accommodasse, quam ut facilius Athenienses speciosa doctrinae suae cum publicis opinionibus concordia fallere, et periculosam impietatis invidiam effugere posset. Epicurus enim Democriti exemplo agebat, Deos ingentes quasdam imagines esse, quae mobilissimis corpusculis constarent, et nullo non temporis puncto magnam eorum partem amitterent, quae tamen damna aliorum continuo affluentium multitudine iterum resarcirentur. Has
vero



vero divinas imagines ita tenues et pellucidas fingebat, ut non sensu sed sola mente cerni possint, nullamque soliditatem vel eminentiam habeant. Iisdem porro humanam figuram tribuebat, quod in hac sola forma ratio et virtus, sine quibus nulla beata vita sit, locum habeant. (de Nat. Deor. I. 18. 19. 37-39. Diog. X. 139. V. 149.) Postremo diis suis aeternitatem et beatitatem largiebatur, iisque in intermundiis tranquillas sedes assignabat, quibus nullis negotiis distracti virtute et sapientia sua per aeternam et profundam quietem fruuntur.

Ut vero eo certius omnium animos ab illa cogitatione averteret, tanquam ipse sua de diis decreta ad vulgus decipiendum invenisset; duobus argumentis instructus in scenam prodibat, quibus sese deos esse probare velle simulabat. Et primum quidem ab omnium mortalium consensione petitum erat. Agebat nempe, id, in quo omnes consentiant, verum sibi videri, neque igitur negari posse, deos esse, quum nulla unquam gens adeo fera, nullum hominum genus adeo barbarum atque immane vel fuerit,



vel adhuc existat, quod non sine doctrina quandam deorum anticipationem habeat. (I. 16. de Nat. deor.) Alterum argumentum e nova quandam naturae lege eliciebat, quam vel aequalem tributionem vel aequilibratam (*ισονομιαν*) appellabat, (ib. c. 19. 39.) cujusque eam esse vim arbitrabatur, ut in universi infinitate omnia omnibus paribus paria responderent. Hac lege ita utebatur, ut diceret, si mortalium tanta multitudo sit, esse immortalium non minorem, et si, quae interimant, innumerabilia sint, etiam ea, quae conservent, infinita esse debere.

Nemo vero non videt, nulli minus convenisse quam Epicuro, vulgi persuasionem tanquam veri regulam usurpare, et constituere. Ipse enim ubique multitudinis et vulgarium opinionum contemptum tam aperte prae se ferebat, ut earum auctoritatem non solum in ceteris philosophiae partibus, verum etiam nominatim in hac de deorum natura quaestione repudiaret. Quod si vulgi iudicium tantum apud illum voluisset, quantum ipse videri volebat, quare illi

hoc



hoc tantum loco plurimum tribuebat, idem vero in omnibus aliis effatis relinquebat? Quidni turbam, veluti optimum ducem, tum quoque sequebatur, quando illa de providentia, de animorum immortalitate, deque virtutis dignitate et natura longe alia ac ipsi videbantur, pronuntiabat? Non cumulo alia exempla, quod adducta sufficere mihi videntur, ad cuius persuadendum, Epicurum in rebus gravissimis a communibus hominum opinionibus secessisse, eumque igitur serio nunquam vulgi consensu tanquam veritatis iudicio uti potuisse.

Alterum vero argumentum, quo caeteros mortales ad deos suos in intermundiorum latebris abditos perducere conabatur, adeo puerile est, atque absurdum, ut ipsum hujus inventi vel potius figmenti puduisse existimem. Idem saltem hanc argumentandi rationem, quantum ego quidem scio, nullo alio loco adhibuit. Nemo vero illam facile legit, cui non eadem in mentem venerint, quae Cotta apud Cicero-
nem adversus commenticiam Epicuri aequilibri-
tatem disputavit: „isto modo quoniam homi-
nes



„nes mortales sunt, sint aliqui immortales: et
 „quoniam nascuntur in terra, nascantur et in
 „aqua: et quoniam sunt, quae interimant,
 „sint etiam quae conservent. (I. 29. de Nat.
 „Deor.)“

Quis porro Epicurum ferre posset, si ea, quae de diis quovis somnio levioribus et vanioribus dixit, ipse credere sustinuisset? Intolerandum profecto propriarum nugarum fastidium ipsum cepisse videtur, quod ne verbum quidem addidit, e quo lectores vel rationem, qua ipsius dii nati essent, vel naturae quoque vires et leges perspicere potuissent, quibus iidem conservari et integrari ipsi videbantur. Unde enim (c. 32. l. c.) tam felix concursus atomorum, ut repente dii hominum forma nascerentur, vel si nati non sunt, quis tantus casus, quo singulis temporis momentis ad divina simulacra tanta corpusculorum multitudo adducitur, quanta opus est ad eorum vulnera sananda, et mutilatas partes restituendas: Quae denique tanta fortuna, qua recentes, et jamjam ad divinas imagines affluentes atomi ita cum

re-



reliquis conjunguntur, ut humana deorum forma integra semper et illaesa maneat? Meo quidem iudicio plane incredibile est, Epicurum omnes has quaestiones, quae ipsi proponi poterant, vel non vidisse, vel etiam intactas relicturum fuisse, si continua Deorum detrimenta et renovationes non aliis tantum, sed sibi etiam ipse persuadere voluisset.

Jam vero videamus, quibus rationibus commotus Epicurus adeo liberalis adversus Deos suos fuerit, ut aeternos illos ac sapientia et virtute beatos esse diceret. Quod si ipse discipulum atque interpretem apud Ciceronem sequimur, aeternitatem et beatitudinem propterea ipsis tribuit, quod eadem natura, quae nobis informationem Deorum dederit, in mentibus quoque nostris insculperit, ut eos aeternos et beatos haberemus. (I. 17. de Nat. Deor.) Quis vero non miratur, eundem Epicurum hoc pronuntiare ausum esse, cui Dei ex atomis conflati videbantur, qui omne, quod natum sit, mortalitatem consequi, omneque quod concretum sit, in sua iterum elementa resolvi opinabatur,



batur, qui praeter solida denique corpuscula, spatiumque inane et infinitam rerum universitatem nihil prorsus aeternum esse pluribus rationibus demonstrari annitebatur. (Lucret. III. 807. *) Sine ulla itaque cavillatione adversus Velleji disputationem ita insurgit Academicus Cotta: „Sint sane (Dii vestri) ex atomis. Non igitur aeterni. Quod enim ex atomis est; id natum aliquando fit. Si natum, nulli Dii ante; quam nati. Et si ortus est Deorum interitus sit necesse est, ut tu paulo ante de Platonicis mundo disputabas.“ (I. 24. de. Nat. Deor.)

Ne

-
- *) Praeterea, quaecumque manent aeterna necesse est, aut quia sunt solido cum corpore respuere ictus, nec penetrare pati sibi quicquam, quod queat
arctas
disociare intus partes; ut material
corpora sunt, quorum naturam ostendimus ante;
aut ideo durare aetatem posse per omnem,
plagarum quia sunt expertia, sicut inane est.
quod manet intactum, neque ab ictu fungi-
tur hilum;
aut ideo, quia nulla loci sit copia circum,
quo quasi res possint discedere, dissolvique,
sicut summorum summa est aeterna, neque extra
quis locus est; quo diffugiat: neque corpora
sunt, quae
possint incidere, et valida dissolvere plaga.



Ne beatitatem quidem Epicurus Diis suis, nisi invita et reclamante tota disciplina sua, tribuebat. Quum enim ex ipsius opinione divinae imagines non solida corpora sed quasi corpora, non verum sanguinem, sed quasi sanguinem haberent, et omni igitur corporis partium usu carerent; inde sequebatur; istos illis quoque voluptatibus nullo modo frui posse, sine quibus vera bona ne locum quidem habere ipse profitebatur. (Cic. I. 40.) Quod si vero Epicurus beatam Deorum vitam non in sensuum titillationibus, verum potius in animi securitate atque in alto et sempiterno otio ponebat, quo excellentis suae naturae conscientia perpetuo gauderent, illudque exploratum haberent, fore se semper cum in maximis tum in aeternis voluptatibus; non video quomodo tale aliquid de ejusmodi Diis dicere poterat, quos sine ulla intermissione pulsari, et atomorum incursione agitari, atque e quibus omni tempore non singula tantum elementa, sed tota simulacra ipsarum divinarum imaginum similia avelli affirmabat. In ea enim opinione erat Epicurus, ejusmodi imagines a Deorum quasi
cor



corporibus avulsas priscis quondam mortalibus non solum vigilantibus apparuisse, verum etiam per quietem eorum animos pulsasse, atque ex horum itaque motibus, corporumque amplitudine et viribus, denique missis ab ipsis vocibus homines primum Deorum, sensu et intelligentia praedictorum, notiones hausisse. (Luc. V. III. VI. 76. *).

Non tantum vero Epicurus id operam dabit, ut Deos suos, quod ad figuram et virtutes attinet, Deorum popularium gentis suae quam simillimos efficeret, verum etiam, qua erat prudentia, ejusmodi sedes ipsis praeparabat, quae

a

-
- *) Quippe enim jam tum divum mortalia faecula egregias animo facies vigilante videbant, et magis in somnie mirando corporis auctu. His igitur sensum tribuebant, propterea quod membra movere videbantur, vocesque superbas mittere pro facie praeclara, et viribus amplis: aeternamque dabant vitam, quia semper eorum suppeditabatur facies, et forma manebat, (et manet omnino) quod tantis viribus auctos non temere ulla vi convinci posse putabant.

Nec delubra deum placido cum pectore adibis;
nec de corpore quae sancto simulacra feruntur,
in mentes hominum divinae nuntia formae,
suscipere haec animi tranquilla pace valebis.



a Graecorum numinum domiciliis, non nisi loco
 diversae erant. Intermundia enim, quae a divi-
 nis imaginibus incolae Epicurus dicebat, Lucre-
 tius iisdem fere verbis et coloribus descripsit,
 quibus Homerus Olympi fastigium expresserat.
 (III. 16, *) et ib. Creech. vide et Cic. de Nat.
 Deor. II. 23. I. 12. Senec. de Benef. IV. 9.)
 Hac vero similitudine effecta amplius non cura-
 bat, an secure habitarent Dii, an vero peri-
 culum adesset, ne mundorum circa illos caden-
 tium ruinis opprimerentur. Collocabat quidem
 Deos in spatiis inanibus, quae inter vicinos
 mundos interjacere volebat; sed eadem haec
 loca nullo neque muro, neque alio quodam
 munimento sepiebat, quo divini eorum incolae
 adversus ingruentium undique corpusculorum
 vim et incursiones defendi potuissent. Veren-
 dum igitur erat beatis istis Diis, ne intermun-
 dia

*) Apparet divum numen, sedesque quietae:
 quas neque concutiant venti, neque nubila
 nimbis
 adspargunt, neque nix acri concreta pruina
 cana cadens violat: semperque in nubibus
 aether
 integit, et large diffuso lumine videt.



dia sua, quae haecenus nullos externos hostes experta erant, aliquando atomorum per infinitum inane volitantium molibus percurrerentur. Ne hoc quidem intelligo, quomodo Epicurus Deorum habitationes tanquam spatia inania describere potuerit, quum ipse opinaretur, divinas imagines nova semper corpuscula extrinsecus advenientia recipere, alia vero, quae eorum haecenus partes fuerint, emittere et quasi extrudere. Multo minus video, quomodo inter hanc continuo appropinquantium et abeuntium atomorum turbam atque tumultum inconcussas Deorum quietis vel mentionem facere ausus sit?

Ne deos quidem Epicurus venerari, eorumve templa adire poterat, nisi subversis antea omnibus suae de moribus doctrinae fundamentis. In hac enim philosophiae parte ad nauseam usque repetere solebat: homines nil nisi voluptatum et utilitatum suarum causa nec facere, nec facere debere: universas porro virtutes eatenus tantum pro virtutibus habendas esse, quatenus illae vel voluptates vel commoda nostra promoveant; eosdemque contra pro
ina



inanibus tantum sonis habendas esse, quando nobis neque utiles neque jucundae sint. Quod si igitur cum his Epicuri decretis aliam ipsius sententiam copulamus: deos nimirum hominum instar se quoque tantum respicere, nullamque rerum humanarum curam gerere, quod ex multiplici ejusmodi negotio nulla ad ipsos neque voluptas neque utilitas redundare possit; quis, quaeso, amplius dubitabit, hunc virum turpissime sibi contradixisse, dum gratuitam pietatem, et eum deorum cultum commendaret, quem neque gaudia ulla neque etiam commoda sequerentur? Certum itaque esse existimo, ambitiosa illa effata, qua, quidquid excellat, justam illud venerationem habere, (I. 17. de N. D.) deorumque eximiam atque praestantem naturam debere ipsam per se ad se colendam elicere sapientem (c. 41.) pronuntiabat: haec inquam magna effata, nil nisi splendida verba, atque in eum tantum finem inventa esse, ut imperitum vulgus ludificaretur, eosque qui ob sublatam deorum providentiam ipsi irascebantur, secum quodammodo reconciliaret. Postremo plane ipsi obmutescendum



erat ad illas quaestiones, quibus Academicus Cotta ipse discipulum, Vellejum, apud Ciceronem premit: (c. 41.) Quid est enim, cur deos ab hominibus colendos dicas, cum dii homines non modo non colant, sed omnino nihil curent, nihil agant? — Quae porro pietas ei debetur, a quo nihil acceperis? aut quid omnino, cujus nullum meritum sit, ei deberi potest? est enim pietas, justitia adversus deos: cum quibus quid potest esse nobis juris, cum homini nulla cum deo sit communitas? Sanctitas autem est scientia colendorum deorum: qui quemadmodum colendi sint, non intelligo, nullo nec accepto ab iis, nec sperato bono? Quid est autem, quod deos veneremur propter admirationem ejus naturae, in qua egregium nihil videmus? Nam superstitione quod gloriari soletis, facile est liberari, cum sustuleris omnem vim deorum?

FINIS.



Errata et Emendanda.

- | | | |
|---------|---------|---------------------------------------------------------------|
| Pag. 14 | lin. 21 | pro possit lege <i>potest.</i> |
| - 15 | - 15 | pro tantum l. <i>tandem.</i> |
| - 18 | - 14 | pro alios lege <i>Deos</i> |
| - 23 | - 20 | pro alterum momentum l. <i>pays altera.</i> |
| - 24 | - 24 | pro conantur l. <i>conabantur.</i> |
| - 25 | - 7 | pro manes l. <i>mores.</i> |
| - - | - 18 | pro videretur l. <i>videatur.</i> |
| - 26 | - 9 | pro pugnare l. <i>repugnare.</i> |
| - 32 | - 17 | post qua pone <i>Jablonski.</i> |
| - 34 | - 13 | pro avo l. <i>ovo.</i> |
| - 35 | - 2 | in Nota pro Heloig l. <i>Heliog.</i> |
| - 48 | - 4 | pro ut l. <i>et.</i> |
| - - | - 12 | pro coepeant l. <i>coeperunt.</i> |
| - 54 | - 5 | del. <i>adeo.</i> |
| - 55 | - 4 | del. <i>ipse.</i> |
| - 61 | - 23 | del. <i>nempe.</i> |
| - 64 | - 6 | pro non est fides l. <i>fides non est.</i> |
| - - | - 16 | pro Milcuis l. <i>Philonis tempora.</i> |
| - - | - 17 | del. <i>tempora.</i> |
| - - | - 21 | commigrarit Pone post verbum <i>co-</i>
<i>gnoscendas.</i> |
| - 66 | - 6 | pro Hermetes l. <i>Hermete.</i> |
| - 70 | - 12 | deletur <i>mortalium sive.</i> |
| - 72 | - 17 | pro clarissimas l. <i>clarissimis.</i> |
| - 81 | - 23 | pro somnii l. <i>somniis.</i> |
| - 95 | - 19 | post quando pone <i>vel.</i> |
| - 96 | - 2 | pro feraciam l. <i>ferociam.</i> |
| - - | - 10 | pro quae l. <i>quaeque.</i> |
| - 99 | - 24 | pro suppeditat l. <i>suppeditaret.</i> |

Pag. 100	lin. I	pro potest l. <i>possit.</i>
- 101	- 8	pro de l. <i>deque.</i>
- 108	- 3	pro attribuerunt l. <i>attribuerint.</i>
- -	- 13	pro post Deo pone <i>deque.</i>
- -	- 20	pro erat l. <i>fuit.</i>
- III	- I	veneretur l. <i>veneraretur.</i>
- -	- 17	dele. <i>conatur.</i>
- 115	- 2	in Not. pro Ezaur l. <i>Exour.</i>
- 128	- I	pro Arabes l. <i>Arabas.</i>
- 137	- 5	Deleatur <i>illorum.</i>
- 139	- 7	pro verendum l. <i>metuendum.</i>
- -	- 8. 9	pro exiguas Graecae et Christianae sapieniae reliquias inter Indos mox extinctum iri lege ne exiguae Graecae et Christianae sapieniae reliquiae brevi tempore inter Indos extinguantur.
- 145	- I	pro Javin l. <i>Kinn.</i>
- 149	- II	pro possint l. <i>possent.</i>
- 156	- 9	deleatur <i>regnantem.</i>
- 158	- 13	pro posset l. <i>potest.</i>
- 163	- 4	pone post temporum <i>summae.</i>
- 164	- I	post et <i>pone a.</i>
- -	- 23	pro in lege <i>ab.</i>
- 167	- 18	pro verum l. <i>vero.</i>
- 170	- 20	pro ut l. <i>et.</i>
- 177	- 18	pro etiam l. <i>quaeso.</i>
- 182	- 22	pro <i>δυντεργων</i> l. <i>δυντεργων.</i>
- 211	- 11	pro quae l. <i>qua.</i>
- 216	- 13	pro Ferax l. <i>Ferox.</i>
- 224	- 4	deleatur <i>unquam.</i>
- 226	- 14	pro debebant l. <i>debebat.</i>
- 257	- 18	ante vel pone <i>ut.</i>
- 269	lin. ult.	in Not. pro commentitus l. <i>com-</i> <i>mentus.</i>
- 277	- 23	post illum inferre haec verba: <i>nempe</i> <i>non solum.</i>
- 289	- 32	pro Calvii l. <i>Colvii.</i>
- 291	- I	pro sequentur l. <i>sequuntur.</i>
- 295	- 15	pro auctoris l. <i>auctori.</i>

In der Meyerschen Buchhandlung zu
Lemgo sind diese Jubiläummesse, 1780
folgende neue Bücher herausge-
kommen.

Beyträge zur Kenntniß Großbritanniens, aus
der Handschrift eines Ungenannten, her-
ausgegeben von Hrn. Prof. Forster, 8.

Die Bibel Alten und Neuen Testaments vollständig
erklärt und mit historischen Einleitungen in
jedes biblische Buch versehen, von Wilhelm
Friederich Hezel. 1ter Theil, 8.

(Der 2te Band dieses Werks wird gegen baare
1 rthlr. 8 ggr. oder einen Conventionsthaler
in der Leipziger Michaelismesse gleichfalls ausges-
liefert werden.)

Bibliothek, auserlesene, der neuesten deutschen Lite-
ratur, 17ter Band. 8.

von Bostells, Fr., Beyträge zur kammergericht-
lichen Praxi, 1ter Theil. 8.

Crell, L., Chemisches Journal für die Freunde der
Naturlehre, Arzneygelahrtheit, Haushal-
tungskunst und Manufakturen, 3ter Th. 8.

Erzählungen des Cicero mit Einleitungen, neue
ganz veränderte Auflage, von Martin
Friedrich Sörgel, 8.

Mei.



Meiners, Christ., Historia doctrinae de vero
Deo omnium rerum auctore atque rectore
Pars I. & II. 8.

von Selchow, Joh. Heintz. Chr., Einleitung in den
Reichshofrathsproceß, aus einer Handschrift
herausgegeben und mit vielen Zusätzen ver-
mehrt, 2ter Band. 4.

des Valerius Maximus denkwürdige Beyspiele ins
deutsche übersezt, von G. Chr. E. West-
phal, 2 Theile. 8.

Visitationschlüsse, die Verbesserung des Kaisers
lichen Reichs-Kammergerichtlichen Justiz-
wesens betreffend. Zwente und letzte Haupt-
abtheilung. 4.



